

www.e-rara.ch

**Historia Olai Magni Gothi Archiepiscopi Vpsalensis de gentivm
septentrionalium uariis conditionibus statibusue :**

Magnus, Olaus

Basileae :, Anno M.D.LXVII [1567]

Stadtbibliothek Schaffhausen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-146188>

Liber XVI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

OLAI MAGNI GO

THI. ARCHIEPISCOPI VPSA

LENSIS DE ECCLESIASTICIS
disciplinis

LIBER XVI

PRAEFATIO.



PRAEMISSIS Septentrionalium populorum diuersis exercitijs, tum ad actiora bellorum certamina, structuras, & mutuos conuictus, tum ad alacriores eorum triumphos spectantibus, quibus ea gens rigidioribus subiecta planetis, recreatur, fastosq; dies suos more ceterarum gentium annuo cursu transigere solet: nonnihil praeclearius subiungendum erit de Ecclesiasticis disciplinis, quomodo Aquilonares illi, suscepto ante annos DC. baptismo, maxime à pueritia instituti sunt in moribus beatis, & optimis literis: in quibus à tenera iuuenta laudabiliter uixerunt, ad ultimam uitae perodum, donec relicta boni nominis fama, & sanctis operibus, Catholica clauderentur sepultura. Contendebant enim docti praeceptores, pro eo rudi seculo diuinitus dati, ut gentiliū errorum sublatis superstitionibus, uirtutum semina paulatim inducerent, & austeritatem in mansuetudinem contra quoscunq; deprauatos affectus commutarent, uel saltem in malis habitibus mitigarent: tantumq; hac sedulitate profecisse notati sunt, ut populus ille Aquilonaris unitatem, & obedientiam Ecclesie seruans, nihil ageret in terra, mari, aut aliquo actu, sine benedictione suorum sacerdotum, prout inferius ostendetur etiam de gloria immortali bonorum principū, & sempiterna ignominia, & infamia sacrilegorum: qui se, suosq; haeredes Deo, & hominibus odibiles, ac contemptibiles, ob hanc crudelitatem (nisi poenitentia purgati fuerant) reddiderunt.

De scholis, & educatione iuuentutis.

CAP. I.



Quantum antiquis praeceptoribus, praesertim Platoni, diligens & fidelis puerorum, ac iuuentutis educatio curae fuerit, plurimis libris suarum legum euidentissimis rationibus attestatur, quos qui peruiderit, aut audierit, non satis admirari, sed nec imitari queat, quod tam insigni prudentia praeditus, sit sollicitus ille homo pro ea etate dirigenda, cuius uestigia difficilima (Sapiente teste) sint cognita. Afferit etiam tales fieri magistratus in Republica, quales fuerint adolescentes in moribus educati. Quod dudum attendentes incolae Septentrionales, Graecorum ingenijs, & gymnasijs iuuentutē suam, grata interueniente amicitia, mutuaq; opera, offerebant instituendā. Habebāt nihilominus Gothi suos praeceptores pro pueris partim educandis, partim pro Republica dirigendā.

Dd 4

dirigenda doctissimos, Græcis non impares in quavis eruditione, priuatim uel publicè demonstranda: ut erant Zenta, Diceneus, Salmoxes Pythagoricus. Præterea habebant Zarobos, Tereos, Pileatos: è quibus Reges, & sacerdotes eligebantur: ut Ethespanta, Hauale, Fridigerni &c. de quibus in superioribus libris non nihil est ostensum. Ex his igitur primi Gothi optimas hausert discipulas, atque continuo æuo, successiuisque generationibus auidè obseruandas tradiderunt arbitantes ignauiam ab hominibus, & malignitatem arceri posse, ubi legitimi philosophi dominarentur, aut diuina quadam sorte philosopharentur. Philosophorum enim officium est, diuina nosse, & humana gubernare, primò per philosophiam contemplatiuam, deinde per actiuam. Et hæc quoque duo requirit, ut quid humana natura sit, & quo pacto ad bonum dirigatur, & à malo remoueatur, agnoscat: hoc fit per prudentiam, secundum quod affectus se cohibeat, ut ad bonum, quod sapientia inuenerat, & prudentia direxerat, facile tendat. Aliqui tamen agendo plus, quàm disputando, experti sunt.

De eodem.

C A P. II.

Videtur Platoni lib. de legibus, puerum omnium animalium bestiam fore intractabiliore, eò quòd multis causis bruto sit inferior, nisi diuina providentia, atque cognitione diuinum cultum, religionemque susceperit. Ideoque eodè autore recte, nulli rei fidelior cura adhibenda erit, quàm ut pueri, & iuuenes bene instruantur. Longè etiam magis, quàm medicinales, & lantæ irrigentur, pueri conseruentur: ne generosa uirtus uerbo, uel facto corrumpatur. Imò asserit, nil diuinus fore, quàm quærere de educatione filiorum: quibus etiam uult imponi pulchra nomina, atque sapius eosdem interrogari, an tales esse uelint, scilicet sapientes: & ita naturalis instinctu respondent fore uelle: & denique de alijs artibus, & exercitijs uario modo, ut agricultura, nautica, medica, militari, donec ad statutum aliquod perueniatur: & ibi per exempla, & inductiones confirmandi sunt. Attamen qui scholis applicantur, ea intentione fit, ut omnino Dei auxilio concurrente, in cleri militiam ascribantur, constituunturque in Aquilone ab Episcopo, uel presidente locorum magistri, seu pædottibæ, id est, exercitationum directores: qui tam per se, quàm suos substitutos, ducentos, trecentosque diuersarum ætatum pueros et adolescentes, etiam si filij principum sint, in uarijs bonarum disciplinarum rudimentis instituant, & adhibita uirga & ferula, ni probi esse uelint, corripiant, tanquam bestias flagris, & equos calcaribus ad cursum incitatos: ut ad uirtutum audacitatem accedere, & permanere constringantur. Qui enim licentiose pueros educat in uitijs, fures eosdem plectendos lugebit in patibulis. Hi tamen disciplinæ scholasticæ securiori spe deputantur, quibus à pueritia egregia indoles, eximium ingenium, atque animus ad bonas artes, & scientias propensior esse probatur: etiam ad addiscendum peregrinas linguas, propter fideliorem interpretationem scripturarum, ne forte bonorum librorum inæstimabilem sensum & fructum, ob inopiam & imperitiam irreparabilem, iacturam amissorum exemplorum, & consiliorum incurrant. Musicæ, ac Astronomicæ, & Arithmeticæ facultati, ac Geometricæ arti uehementer incumbunt. Audiunt enim à maioribus in uestibulo Platonicæ academici scriptum esse, Nemo huc Geometricæ expertus ingredietur: quòd non solum de literarum, sed etiam affectuum debita mensura idem Plato intelligi uoluit.

Depa-

De paterna benedictione puerorum.

CAP. III.

Cernitur in superiori figura ueteranus homo, instruens paruulos ante se genuflexos: cuius sensum pius lector accipiat, in Aquilonaribus terris ab antiquissimis seculis inter laicos, & eorū sobolem fuisse usitatum, uidelicet quod pueri puellæq; somnum, seu lectum petaturi, ordine ætatum recitata Dominica oratione, & Angelica salutatione, paternam benedictionem accipiebant: atq; adhuc sanctissimum eum morem, uerusta deuotione susceptæ fidei sic introductum, seruant. Maxima etenim cura parentum est, à maligna societate restringere filios, ne irreparabiliter corrumpantur. Fideles etiam amici non minus id præstāt, quam ueri parentes, ut domi forisue in bonis moribus, ac scientijs instituantur. Qualis autem benedictio hæc sit in forma, uel modo simili, laici discunt à predicantibus Parochis, siue Plebanis, & Curatis suis, ex cap. Numeri 6, ubi dicitur: Sic benedicite filiis Israël, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Nec certè falluntur in hoc sanctissimo ritu, cum ita obediētes maneant parentibus suis, ut nec uerbo, nec opere, aut signis contraire uideantur paternis præceptis. Noui ego homines adhuc mea ætate, per patrem proprium ob insignem contumeliam, & rebellionem illatam, à paterna benedictione exclusos fuisse: & continuo omnem infelicitatem, inopiam, calamitatem, & infamiam sunt experti.

De præmio, seu mercede præceptorum.

CAP. IIIL

De publico ærario, ut in præclarissimis aliarum regionum, Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ studijs, præceptorum præmia non erogantur in Aquilonaribus scholis, sed à decimis Ecclesiarum, & Episcopali mensa, ac testamentali portione decedentium Plebanorum, seu Curatorum: qui tres, quatuorue marcas argenti, uel magis, aut minus, siue earum æquiualens, pretium cistæ studentium, sanctione Pontificum & Capitulorum, relinquit moriturus. Hæcq; portio uelut debitum succedentibus agnatis, & hæredibus antefertur. Inuat hic inferere generosam epistolam, uel aliquas partes eius ab Alarico Rege Gothorum Senatui urbis Romæ per Cassiod. lib. 9. scriptam: Filiorum causas iure ad patrum cognoscimus remissi te personas, ut ipsi de eorum profectu debeant cogitare, quorū inter est studia Romana proficere. Neq; enim credendum est uos inde posse minus esse sollicitos, unde & generi uestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem, ut est de uobis cura nostra sollicita, quorūdam susurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut scholarum magistris deputata summa uideatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolefcētum aliquid subtrahi: qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta prouocandi. Prima enim Grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundia: quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine uitio. Hæc in cursu orationis sic errorem cognoscit absouum, quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Si docilem parens filium cognouerit, & ingenij uiribus præstantem, nulla eum avaritia cogere debet, ut tanta laude filium fraudare uelit: adhibeat quamprimum puero optimos præceptores, ut liberalibus artibus, ac disciplinis

disciplinis erudiatur, ad quas natura ipsa aptiorem genuit. Nihil enim optabilius parentibus esse debet, quam filios habere eruditos: à quibus quidem uinci, & omni laudum genere superari, non modò æquo animo perpeti debent, uerum filiorum gloriam uictoriæ palmam sibi ipsis existimare. Cicero ad filium sæpenumero ita loquitur, ut nihil magis cupere uideatur, quam ab eo literis, si fieri posset, superari. Pessima namq; est quorundam nostri temporis sententia, qui nullo pacto sapientia à filiis superari uelle aiunt: rursus quam detestabilis sit nimia parentum indulgentia erga filios, qua eos efficiunt torpentes, ignauos, & effœminatos, Plato ipse in Gorgia amplissimè execratur. Imò & horribile flagellum subditi sufferunt quoties eis Princeps lasciuus, effœminatisq; moribus educatus, offertur habendus. Qualem enim iustitiam oppressis, qualem compassionem afflictis, quale deniq; uirtutis exemplum alijs unquam præbebit? qui prius imperium cum uitio sumpsit, quam scire potuit, aut uoluit, quam ardua uirtutis uia principatus sit acquirendus, ac omni modestia manutenendus.

De similitudine artium.

CAP. V.

NAm sicut Musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruentibus accentibus, metrum nouit decantare Grammaticus. Est Grammatica magistra uerborum, ornatrix humani generis, que per exercitationem pulcherrimè lectionis, antiquorum nos cognoscitur iuuare consilijs. Hac non utuntur barbari Reges: apud legales dominos manere cognoscitur singularis: arma enim & reliquæ gentes habent, sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Hinc oratorum pugna Ciuilis iuris classicum canit: hinc cunctos procures nobilissima difertitudo commēdat. Qua de re, P. C. curam habeatis, ut scholæ præceptores, tam Grammaticus quam Orator, necnon iuris ciuilis expositor, commodam sui officij percipiat sine diminutione. Et ne aliquid relinquantur incertum, mox ut sex menses exempti fuerint, statutæ summæ cōsequantur prædicti magistri mediam portionem: residua uerò anni tempora cum annorum debita retributione claudantur, ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, uel horarum aliquo uacasse momento &c. Nam si opes nostras scenicis pro populi collectione largimur, qui necessarij non sunt: quanto magis illis sine dilatione præbenda sunt: per quos & honesti mores proueniunt, & palatio nostro facunda nutriuntur ingenia. Hæc autem præsentibus literarum magistris uenerando cœtui præcipimus intimari, ut sicut nos agnoscunt de suis commodis esse sollicitos, ita à se profectos adolescentium enixius nouerint nos exigēdos ut quandoq; (referente Theoderico Rege 2. lib.) prudentia præditi, publicis iudicijs, & legationibus, sapientiæ ministerio ualeant inseruire Magna etenim ars est, contra artifices loqui, & apud illos aliquid dicere, uel agere, qui se putant omnia præuidere. Reliqua moderniora, ac meliora circa utilitatem scholarum, indigne uideri, & æstimari possunt apud clarissimum uirum D. Brunum de Hæreticis lib. 6. cap. 5.

De ritu diei Purificationis diuæ Virginis.

CAP. VI.

Praterea inter alia bene instituendæ adolescentiæ remedia, hoc quoq; à maioribus religiosa pietate inuentum est, & continuatum in Septentrionalibus regionis, uidelicet ut quemadmodum pagana superstitione ignis in eorum delubris semper seruabatur ad honorem suorum numinum, ac dæmoniorum: ita populus Christianus à paganismo ante DC. annos conuersus, tã detestabili euacuato errore, proprio



pro pio ritu suscepit, ac tenuit, ut die Purificationis diuæ Virginis cereos accensos, orationibus sacerdotum benedictos, uenerabili instituta processione per Ecclesias, & coemiteria reuerenti deuotione, & humilitate gestarent. Is quoque laudabilis mos adhuc extat hoc die, stabilitq; posthac inuiolabili more in sempiternum ætate: licet audax, & temeraria quorundam nouatorum presumptio, ob tenebrosam eorum uiam, uitam, & uisum, huius luminis splendorem irrutilan-

tem habuerint odiosum, ne lumen fidei, & signa bonorum operum maneant in ardentibus lucernis, & eleemosynarijs manibus Christianorum. Sed nec præualuerant ubiq; in impijs meditationibus suis, Christo (qui lumen ad reuelationem gentium est) bona instituta conseruante, quin hæc introducta deuotio (quæ etiam omnes scemina enixa prole, spatio 40. dierum purificandæ, in ostio Ecclesiæ lumen portantes exhibent sacerdoti) maneat immota in Ecclesia Catholicorum: quia tanto tempore ad conseruandum pacificum uictum, nulli penitus iniuriosum, fuerat obseruata, ut crudelis merito censeretur, qui tam honestæ, & sanctæ consuetudini obtemperare contemnit. Omnem enim bonum usum quasi bonâ possessionem, & mentem, scrutati sunt antiqui, ne euanescentes umbras pro rebus solidis amplecterentur, aut fumos ostenderent Christianam uitam accepturis. Exemplis tamen, & similitudinibus rerum, homines rudes pro obsequio fidei, ad uirtutem capeffendam, & proprium periculum cauendum, non autem inducendum alienum, informare satagebant.

De distributione candelarum, seu cereorum benedictorum.

C A P. VII.

FActa igitur solenni processione per templa, uel coemiteria, cereus benedictus ad altare reponitur, unicuiq; familiæ finito officio in particulas distribuendus: quibus susceptis domum quisque regreditur, & sequenti die conuocatis omnibus liberis ieiunis, ac genuflexis, parens iuxta formam prædictam Numeri 6. cereis accensis impendit benedictionem: crematq; in modum Crucis extremitates capillorum capitis, ac ipsum cereum pro unoquoq; benedicto filio extinguit: cuius fumus si ascenderit, ueluti iusti Abel, signum bonæ obedientiæ parens adesse asserit: huicq; adolescenti, uel scemellæ blanditur, exhortans, ut uirtuose uiuat, quia ascensus fumi longam, & bonam uitam significat affuturam: quo uiso alacriores effecti iuuenes, in optimis moribus, & obedientia perseverant, & progrediuntur. Cuius uero fumus uersus terram obliquatur, eidem timor incutitur, ut mores corrigat, & semper abstineat à pessima societate: hacq; uia infiniti refrenantur à uitijs, & plurimi corroborantur in bono. Laudibus enim ducuntur ad religionem, mitibusq; minis deposita pertinaci audacia, auertunt rebellionem. Si quis tamen contra bonam consuetudinem hanc loquacius quàm prudenter dixerit, non tantum ob uiolatæ religionis culpam, sed excitandi tumultus metum, ut ethnicus in sociorum consortio euitatur, maxime in mensali conuictu, ubi uerecundius talem effugere oportebit.

De usu

De usu benedictorum cereorum.

CAP. VIII.

ET si cereorum usus multus, & magnus est in Aquilonaribus terris, maxime in ueneratione templorum, ac uisitatione Sanctorum, & susceptione sacramentorum: tamen cerei manu, & ore Pontificis (cuius speciale insigne est) benedicti, in alta reuerentia habentur apud eas gentes. Creduntur enim potenti uirtute uerbi diuini super eos effusi, uim habere fulgurum, ac coruscationum arcëdarum, ad eum effectum tunc incensi. Præterea ubi aërem corruptum sentiunt, ne tempore pestis, aut tempestatibus sæuiat, bonarum precum adiunctione incensos habent, uel processionibus ab Ecclesia institutis in manibus gestant, ut uirtuti supereffusa benedictionis cedant elementa, alioquin asperrime nocitura. Nec ista uideantur absurda, cum in ethnicis historijs demonum placatione per certa sacrificia, haud modo dissimili, uel altero reperiantur excogitata, ac usitata, quemadmodum Liuius 4. deca. lib. 10. asserit, ex Senatusconsulto Rom. ferias, & triduanas processiones per totam Italiam contra pestem, quæ urbes euacuauerat, fuisse institutas. Imò refert de simili remedio aduersus eandem, uel aliam elementorum duritiam, dum ictos fulmine in prælijs equites armatos, & agros tempestatibus demolitos, ac pecudes, & armenta quassata cernerent, mox ad libros Sibyllinos, tanquam Aesculapij remedium quæsituri, diuerterunt. Ita & ante susceptam Catholicam fidem in gentibus Aquilonis factum memoratur, donec ueri luminis splendore illustrati, benedictis cereis redimerent urentes clades, & tandem animam efflaturi cereis uterentur eisdem.

De benedictionibus cunctarum rerum Birgeri
Archiepiscopi Vpsalensis.

CAP. IX.

PUchrum, & sanctum, imò necessarium arbitrantur eadē gentes, benedictionem siue sacerdotis, siue sua inuocatione fundere super res omnes mortalium usui applicandas, eò quod Dei inuocato nomine ubique sentiunt adesse, uel mox affuturam omnium rerum ubertatem. Audiunt enim à prædicatoribus suis ex cap. 28. Deutero. allegato, quantis benedictionibus replentur seruantes mandata Dei, & rursus quam infelices, & maledicti sunt, qui declinant ab eis. Habentur tamen communes ceremonie in benedicendis seminibus, & segetibus, & esculentis tempore Paschæ, & in medio Augusti, die beatissimæ Virgini dedicato, ut benedicantur omnigeni fructus: quorum si qui ad usum domesticum deputati, maxime potus & ceruisia, in cidentibus uenenatis & immundis animalibus corrupti uideantur, mox adhibita sacerdotali benedictione sub hac uerborum forma restituntur: Deus, cuius immensæ pietatis est sordes abstergere, corrupta in priorem munditiam reuocare, & benedicendo sanctificare, te supplices exoramus, ut de hoc liquore quicquid in eo sordidum, aut immundum, siue noxium est, euacues, & adminicula, quæ seruis tuis utenda cōferre dignatus es, solita miseratione tua, & sanctificando purifices, & purificando sanctifices: ut liquor iste ab omnibus inquinamenti emundatus, tua diuina benedictione sit sanctificatus, & omnibus ex eo gustantibus existat immaculatus. Est & alia forma benedictionis annonæ die S. Stephani: Omnipotens sempiternus Deus, creator omnium elementorum, & sanctificator, qui es trinitas & unitas, precamur te Domine clementissime pater, ut annona ista per tuam misericordiam sit benedicta, & presta per inuocationem tui sanctissimi nominis, ut animalia quæ ex ea gustauerint, accipiant recreationem, et sanitatem, ac fortitudinem: ut quæ ad utilitatem nostram creasti, per tuam gratiam uiuant ad nostrum adiutorium. Per D. N.

Adhuc

Adhuc de benedictionibus peregrinantium eiusdem Birgeri Archiepiscopi.

C A P. X.

Obscuro memor esse uelit omnis lector pius, qui hæc dignabitur semoto fastidio legere, uitam hominis militiam, & peregrinationem esse super terram: ut cogitet qualiter ab Aquilone (unde omne malum panditur) etiã uita emendata iter est ad cœlos. Vnde ex deuotione, uel uoto uolentibus peregrè proficisci ad Hierusalem, aut Compostellam, uel aliam Urbem, seu alia loca, prout multi Illustrissimi Reges, & foeminae olim profecti sunt, Præsul, uel sacerdotes super eos, & sacculum, ac baculum modo sequenti stans benedicit: Domine Iesu Christe conditor mundi, & redemptor, qui beatis Apostolis tuis præcepisti, ut euntes in peregrinationem uirgas tantum sumerent, te supplici deuotione petimus, ut digneris hos sacculos, & fustes, seu baculos benedicere, quatenus hi, qui illos in signum peregrinationis, & sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuæ cœlestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint: ut quemadmodum uirga Aaron in templo Domini florens, à rebellium Iudæorum numero ipsius stirpem distinxit: ita & hos signaculo S. Petri ornatos, ab omnibus peccatis absoluas, quod in die iudicii ab impijs separati, in dextera parte sint collocandi. Per D.N. Verf. Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, ad saluandas animas. Commendemus nosmetipsos in multa patientiâ, per arma iustitiæ uirtutis Dei. Vnde consignans peram dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi accipe sacculum, seu peram, in habitum peregrinationis tuæ, ut sanus peruenire merearis ad limina Sanctorum, quò pergere cupis, & ad nos cum gaudio & exultatione reuerti incolumis. Deinde dans baculum, dicit: In nomine Iesu Christi accipe & hunc baculum in sustentationem itineris, & laboris tui, ut deuincere ualeas omnes inimici cateruas, & peruenire ad limina Sanctorum, quò peregrinari desideras: ut peracto obedientiæ cursu, ad nos quoq; sanus cum gaudio reuertaris, & incolumis. Verf. Saluos fac seruos tuos &c. Mitte eis auxilium de sancto, & de Sion &c. Omnipotens sempiternus Deus, humani generis reformator, & autor, qui Abraham puerum tuo, ut exiret terram natiuitatis suæ, & ueniret in terram repromissionis, quam ei te daturum esse promiseras, præcepisti: necnon & populum Israëliticum in deserto te adorandum multis prodigijs uenire fecisti, hunc quæsumus ad Sanctorum limina pergentem, à periculis omnibus eruas, & à peccatorum nexibus absoluas, & tu qui es uera uia, in te confidentibus iter bene dispone, ut inter omnes huius seculi perturbationes tuo protegatur auxilio. Mitte ei sanctum Angelum tuum, quem Tobie famulo tuo comitem dedisti, ut ubicūq; manserit, sit illi defensor contra insidias omnium inimicorum uisibilium, & inuisibilium, quatenus lætus & incolumis ad nos iterum redire ualeat. Per D.N.

De benedictionibus eleemosynarum eiusdem Archiepiscopi, pro uiuis & defunctis.

C A P. XL

Abscondite eleemosynã in sinu pauperis, & ipsa oret pro uobis ad Dominũ: quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Verf. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: quia beatus qui intelligit super egenum & pauperem. De profundis usq; ad finem. Kyrieleyf. Christeleyf. Kyrieleyf. Patern. Et ne nos. Saluos fac seruos tuos & ancillã tuã, Deus meus spe. in te. Mitte eis auxil. & de Sion t. eos. Esto eis d. tur. forti. à fa. ini. A porta inferi erue d. a. e. Credo ui. bo. do. in terra ui. Requiesce

Ee in pace,

in pace. Domine exaudi. Dominus uobiscum, & cum spiritu tuo. Creator & conseruator generis humani, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, mitte spiritum tuum super hanc eleemosynam pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut armata uirtute cœlestis defensionis, omnibus ex ea gustantium corporibus, atq; animabus eorum proficiat ad æternam salutem, & prosperitatem. Deinde dicitur: Eleemosynam hanc sanctam facientibus retribue Domine in regno tuo, qui es remunerator omnium bonorum, & benedictus Deus per infinita secula seculorum. Huius etiam sanctissimi Birgeri Archiepiscopi Upsalensis ordinatione, & consensu suorum suffraganeorum, factum est, ut penes singulas Parochiales ecclesias, latè per regnum extensas, essent domus refugij pro alendis egenis, per comportatas eleemosynas parochianorum. Præterea quòd decimæ Episcopales darentur hospitalibus leprosum, & infirmorum, atq; cum his liberales eleemosynæ diligentia quæstorum, tam remoto quàm propinquo situ distantibus, (determinato tamen modo) ab indigenis recollectæ. Est etiam talibus locis de magnis indulgentiis, & Principum priuilegijs, ut melius conferuentur, prouisum: attamen propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, aliquando exurget Dominus, ut uindictet in omnē pietatē suā inexplēbili auaritia destruentes.

De hospitalitate Gothorum, ac aliorum Septentrionalium incolarum.

C A P. XII.



CVM natura mortales inuitet ad hilarioris uitæ mutuum subsidium (quod certè meritò facit, quia supra generis humani sortem est, ut solus quis sibi sufficiat, licet natura uniuerfos ex æquo fouet, quos eiusdem formæ communione cōplectitur) eadem nimirum hominem etiam atq; etiam obseruare nititur, ne sic suis commodis obsecundet, ut proximum (quem facile iuuare poterit) angustijs obrui patatur: imò detestabile est, susceptione hospitibus blandiri, & postea pretij enormitate terrere: quoniam prædoni similis est, qui sub iniqua uoluntate, & execrabili lucro demonstrat se iustitiam non habere. Id enim uerum humanitatis, ac benignitatis officium est, quo quis sibi demit, & alteri porrigit: quod ipsum nunquam tantum infert commodi, quantum refert: nam & beneficiorum uicissitudine pensatur, & ipsa benefacti conscientia, ac recordatio charitatis eorum, & beneuolentiæ, quibus benefeceris, plus uoluptatis affert animi, quàm fuisset illa corporis, qua abstinuisti, præsertim quòd Deum ingenti præmio opus pium rependere non dubitatur. Quocirca ad eum effectum declarandum, supra posita figura adducta est, ostendens quàm immensa benignitas admirabili Dei munere Gothicis, ac Sueticis gentibus in hospitum collectione, ultra omnes Septentrionis populos indita est, ut omnem illū diem infelicitè perijisse existiment, quo non contingat peregrinis hominibus beneficium aliquod exhibuisse.

De externo testimonio eiusdem hospitalitatis.

C A P. XIII.

Refert Albertus Crantzius insignis nationum & historiarum scriptor, huiusmodi uerba: Quamuis omnes Hyperboreæ gentes hospitalitate sunt insignes, præcipui tamen sunt Suecones, & Gothi ijs coniuncti: quibus est omni pro-

bro grauius hospitium negare transeuntibus, ita ut sit certamen, quis aduenam hospitio suscipiat: cui gratuita liberalitate omnia exhibent hospitalitatis iura, quotquot diebus permanferit, egredientemq; comendant amicis in itinere, quod instituit, commorantibus. Hæc ille. Quinimò & iumentorum usum sollicito uiatori, quousq; uoluerit, liberrimè præbent, ipsumq; per compita uiarum alacriter ducunt: utq; tali eorum beneficio utatur, obsequijs & precibus urgent: scientes plenum pietate opus esse, peregrinam gentem tali gratuito more consolari. Nec ignorant quantæ sint æstimationis reputandi fideles, & boni hospites, qui probos mores, usus, consuetudines, & reliquas uirtutes aliarum gentium (quas libenter audiunt) syncerius referre creduntur. Item & amicitias dolosa simulatione susurronum, uiolatas, in pristinum robur pijs consilijs reducere, atque pijsimis exemplis, & experimentis solidare. Preterea qui de architecturis, & aliarum rerum naturis quæsit, plurima per experientiam dicere norunt, quæ perpetuam utilitatem actiuis ipsis hospitibus sint allatura. Quocirca non contemnenda donaria recessuris in pellibus pretiosis, aut argenteis uasis liberaliter elargiuntur: quo fit, ut beneficij memores, simili gratitudine quandocunq; opus fuerit, omne bonum polliceantur, & præstent.

De humanitate & hospitalitate Gothorum ac reliquorum populorum Septentrionalium. Ioan in principio lib. 4.

Ad Gothiam deinde & Sueoniam reuersi, non solum nouas & ueteres patriæ historias, uerum etiam obeliscos, pyramides, quibus Regum, heroumq; gesta inscripta sunt, imò uetustissima patrij idiomatis carmina, & librorum fragmenta perquirentes nihil usq; non perscrutatum relinquamus, ut bonos Principes pro rebus bene gestis sempiternà gloria, malosq; immortali odio, perpetuq; ignominia dignos ostendamus. Iustum quippe est, quem admodum egregia optimorum Principum uirtus summis laudibus extollatur, ita improbitas tyrannorum perpetuo opprobrio inuratur, qui sub humana forma naturam gesserunt bestiarum. Primus itaq; post Botuildum Regem (de quo alibi dicemus) occurrit eius nepos Carolus, cuius adeo præclara, & magnifica gesta fuere, ut omni iure inter optimos Reges conscribi mereatur. Quippe quamuis in sceptris paterna, atq; in amplissima regna successerat, tamen memor paternorum casuum tam moderate se in omnibus gessit, ut non Rex, sed Pater patriæ ab omnibus putaretur. Procures, à quibus honore Regio donatus fuerat, non aliter quam fratres habebat, eorumq; filios summis beneficijs efferre studebat, ratus se sine honore æstimandum esse, nisi contenderet honorem superare, & parua uel mediocria beneficia summis uel maioribus compensare. Nobiles ad inopiam uergentes, prouentibus Regijs sustentare curabat, communitati plebis non raro tributa laxabat, in legum transgressores, quando per ignorantiam aut fragilitatem peccauerant, clementissimus erat: qui tamen in eos, qui per malitiam deliquerant, summam seueritatem exercebat: & quemadmodum ipse in omnibus uirtutum officijs se continuè exercebat, ita subiecti populi læti & alacres sese uirtutibus sine intermissione accommodabant. Fit enim plerunq; ut quales fuerint in Republica Principes, talis erit & populus. Hic Carolus inter maximas leges, & mandata constituit, ut Gothi ac Sueci inter se, & maximè in omnes aduenas & peregrinos hospitalitatè obseruarent, summumq; nefas ducerent, quicumq; uiatorem à tecto coerceret: quod si quis facere tētaſſet, & idoneis testibus ter negasse hospitium cōuinctus fuisset, immisso igne ardes eius cōburi iussit, ut domibus proprijs iuste priuaretur, qui earū usum inhumaniter denegasset.

Hinc ego deductum puto, quod uix alibi in tota Europa promptior liberaliorq; hospitalitas, quam apud Sueones et Gothos hodie inueniatur. Quippe aduenas non solum benignè admittunt, sed cuncta ad liberalem conuiuium necessaria gratis & sine ulla nomismatis compensatione subministrant: deinde equis, uel iumentis ad uicinos deducunt, eisq; commendant. Fitq; non raro lis inter conuicaneos, quis peregrinum excipiat. Summa enim laude ille à cæteris efferi consueuit, qui plures aduenas liberali hospitio collegisset: quemadmodum ille publico odio iuste insectandus æstimatur, qui cibum, potum, hospitiumq; negauit itineranti. Siquidem tanta ubiq; est cibi & potus abundantia, ut sordidæ auaritiæ mancipium reputetur, qui pro numerata pecunia cibauerit elurientem; nisi forsan in ciuitatibus

& oppidis, ubi omnia, sicut in alijs terris, nummo mensurantur: quanquam illic sine comparatione minus expenditur. Ceterum in uillis, quæ pascim à fortunatis agricolis habitantur, omnia gratis distribuuntur, maiorq; ad hospites, quam ad proprios filios liberalitas habetur. His namq; ad mensam uilliora apponuntur, quando aduenis pretiosiora reseruantur. Est namq; in Gothiis quidam laudabilis pudor innatus, quo maxime afficiuntur, quando ne quiuerint se omnibus exhibere liberales. Fatetur hanc summam Gothorum Sueonumq; liberalitatem Saxo Danicę historię scriptor, qui alias Sueticis rebus non satis fauere uidetur, & post eum Crantzius Hamburgensis, qui affirmat in omnibus Septentrionalibus regnis magnam esse hospitalitatem, sed apud Gothos & Sueones præcipuam. Igitur cum Carolus domi & in patria totam sui principatus administrationem ad optimarum uirtutum regulam composuisset, diuturnam pacatam uitam usq; ad felicem senectutem deduxit, nullis auidentibus imperium eius lacessere, quod erat tot uirtutibus propagatum & confirmatum nisi quidam Tordonus Noruegianus sacrapa. Qui cum eius filiam coniugem, eandemq; nimis exosam haberet, monitus ab ipso patre fidei matrimoniali satisfacere contempsit, belloq; prouocatus, & in aciem progressus, manibus Caroli percussus occubuit. Reliqua nulla bella ab eo gesta inuenio: nec uidetur ad prælia promptum, aut paratum animum habuisse, qui legibus, optimisq; institutis, & moribus conatus fuerit se suosq; in omni tranquillitate & concordia conseruare.

De periculis hospitum ingratorum.

C A P. XIIII.

HAbet tamen natura populi huius hanc iustam seueritatem, ut si hospites tanta beniguitate suscepti, inhonesta cupidine ducti (quod raro tamen accidit) consortem patroni domus, aut filiam, uel ancillam lasciuo ludibrio uiolare, præsumpserint, aut uim intulerint, tunc illico talem omni sequitia adhibita, usque ad mortem infatigabili conatu, & impacabili iracundia persequuntur. Vident enim eorum gratuita beneficia nefanda nequitia compensari. Neque diu gratam stationem erinent hospites, qui graues odores secum in uestibus, aut saccinis, ueluti molentum deferunt: quia foemina abortiunt eo odore hausto: imò ob tales odores peregrinos, in oculis suspecti fiunt, ne sint proditores regni: unde plerunq; accidit odoriferos satellites, præcipue collimitaneos Russos, seu Moschos, aut Danos, rusticorum ferocitate fustigari, quibus displicet ille odor. Præterea qui rixas, & odia atque contumeliosam ebrietatem nimis prodigo ausu, & haustu, lege discretionis oblita, exaggerant, aliosq; feroci spiritu nimio potus calore inflammati prouocant, subito ad intensissima frigora expelluntur: quo demum euenit, ut propriam agnoscant insaniam, prudentius conuersentur in ædibus alienis, ne abutantur benignissima hospitalitate. Aestatis tamē tēpore effugati, ut minus ab elementis ubiq; suauiter spirantibus, periculi sustinēt ita infamis eorū memoria meretur, & efficit, ut nullibi uel hospitio, uel societate bonorū hominū recipiātur & foueantur.

De bono & utili moderamine erga hospites iniuriosos.

C A P. XV.

Non parum ad hoc propositum facit doctrina beati Ambrosij de Offi. lib. 2. cap. 21. ubi de insigni hospitalitatis gratia & merito, plurima annotanda adducit & inter cetera, quod decet hominem hospitalem esse, benignum, iustum, non alieni cupidum, imò de suo iure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quam aliena iura pulsantem: fugitantem litium, abhorrentem à iurgijs, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo iure uirum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerunque etiam commoditatis est. Primum dispendio litis carere non mediocre est lucrum, demum augere amicitiam: ex qua oriuntur plurimæ commoditates, quæ suo tempore postea prouident. In hospitalibus autem omnibus officijs humanitas impartienda est: iustis tamen

tamen uberior honorificentia est deferenda, ut recipiens iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiat, & premium calicis aque frigide &c. Suave igitur est, non pecuniæ sed gratiæ studere. Verum exurgēs auaritia homines in eam ariditatem inducit, ut damnum putent, quicquid præter morem impenditur: licet scriptura asserat, Melior est hospitalitas cum oleribus, aut panis in suauitate cum pace. Non enim prodigos nos docet esse scriptura, sed liberales. Liberale est hospitio suscipere, nudum uestire, redimere captiuos, non habentes sumptum iuuare: prodigum est sumptuosius effluere conuiuijs, & uino plurimo: prodigum est popularis fauoris gratia exinanire proprias opes: quod faciunt inanibus spectaculis intenti. Pulchra liberalitas est mensuram tenere, ut pluribus iuxta necessitatem distribuatur. Quicquid tamen ex affectu sincero promitur, hoc est decorum: non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessarias. Et maxime hoc sacerdoti conuenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat: misericordiam frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis: non superflua, ne sumptu pauperum alienam sibi quærat gratiam, & restrictior fiat apud clerum. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum, si aut sumptus desit necessitati eorū, quos a sordidis negotiationis aucupijs retrahere debeas, aut uoluptati superfluat. Et hæc allegata sint pro maiori parte propter Aquilonares studiosos: ad quos uix unquam perlatum est beatissimus iste autor Ambrosius: qui et 3. lib. cap. 7. ait, tempore famis peregrinos ab urbibus nequaquam pellendos, exemplo ferarum, quæ nunquam expellunt catulos: quæ conformem sui generis adiuuant, ubi homo impugnat. Canes ante mensam impastos non patimur, & homines extrudimus? Quid illum eijs, qui te pascit? Quid tam utile, quam cultores agrorum referuari, non interire plebem rusticorum? Quod igitur indecorum est, etiam inutile est &c.

De ritu Christianorum conuiuiorum.

CAP. XVI.



QUemadmodum lib. 5. cap. 3. de sobrietate gigantum, & lib. 13. cap. 36. de ritu epulandi gentium nonnihil ostensum est, qualem usum, uictumque seruabant antiqui, nunc insuper accepta Catholica fide enarrare congruit, quomodo per Aquilonaria regna, Suetiam præsertim & Gothiam, relicto maiori ex parte paganismo, & idolorum cultu, unanimes cœperint ambulare in domo Domini cum consensu, moresque tam concordēs beneuola suarum rerum communicatione ducere, ut præter talem bonorum participationem etiam ad ritum conuiuandi religiosum rationabili seruato statuto, sese certis anni temporibus conuertebant: sicque multo tempore quasi sub aurea ætate, ubique concupita, & adepta pace, alacriter conuiuiebant. At tamen ut ordinatius id facerent, dictantibus Episcopis bonis, redactus est is conuictus ad tres dies Pentecostales, atque totidem ante caput ieiunij quadragesimalis Ecclesiæ præcepto instituti: in primis undique ad singularem parochiam uniuscuiusque territorij, siue districtus, cibos iuxta facultatem suam quisque comportatos, in maxima æde penes Ecclesiam ad eum usum fabricata, distincto mensarum ordine iuxta seriem ætatum, dignitatum, ac familiarum ordinarent, conuiuarentur, potu ceruiciæ totius congregationis expensis longè antea ad hunc usum referuato.

Ec 3 De catia

De causis huiusmodi congregationis.

CAP. XVII.

DVrante itaque hoc triduo ante ciborum sumptionem sacra à Plebano, seu Curato audituri, Ecclesiamque ingressi, (prout & nunc ingrediuntur) pro se, suisque charis parentibus, & amicis tam uiuentibus, quam defunctis, fideliter (copiosis oblationibus fractis) Dominum orant, ut pacem & sanitatem, ac omnia uitæ necessaria, & eorum mortuis antecessoribus misericordiam, & uitam præstet & ne unquam sinat eos incidere in corruptam societatem, & iracundiam dominorum, atque hostium calamitates. Demum inde ad conuiuales mensas reuertentibus mos talis institutus est, ut Senatoribus tantæ multitudinis per deputatos ministros stolis candidis indutos, ampla cornua electo potu repleta, pro summa memoria sanctæ Trinitatis more antiquorum ebibenda, successiuo ordine præsententur. Deinde eisdem cærimonijs in memoriam Deiparæ Virginis, & tertio patroni, cuius inuocationi Parochialis ecclesia dedicata sit, cornua simili liquore plena, & præsentata ebibantur. Quibus ritè peractis, ex alto legi solent ad latus Senatoris statuta conuiuantium, quid sanctius & honestius, tam ibi quam domi, pro omni statu, & tempore, ac ætate diligenter sit seruandum, quasi in una compendiaria uita præsentis, & futuræ lætitiæ acquirendæ statuta hæc proponerentur. Sed neque pœna transgressorum est exclusa, quin & illi obnoxij sint ut soluant, scilicet tot ceræ libras sacris altaribus deputandas: & ita memoria Sanctorum continua reuerentia præsentibus suo tempore conuiuii instauratur, & frequentatur.

De utilitate conuiuantium.

CAP. XVIII.

Peractis igitur ijs mensalibus solatijs, pariter Ecclesias omnes utriusque sexus, & ætatis homines, Deum & Sanctos eius pro sua incolumitate, ac parentum salute inuocaturi ingrediuntur: diebusque aliquot in tam pijsimo ministerio deducendis, ualde solliciti sunt, ut si qui in medio eorum discordes sint, ad gratiam & amicitiam eosdem reducant. Si præterea immineant alicubi in limitibus regnorum hostiles insultus, ut stent paratissimi ad omnimodam defensionem. Si denique uisis iuuenibus personis pro uinculo connubij coniungendis, eò quod in cœtu hominum ob morum probitatem uidentur idonei, tunc illicò diem persuadent, & præfigunt parentibus utriusque, quo prociis accedat pro uotis sponsalibus inchoandis. Et hinc euenit, ut unus fiat è pluribus, quoniam etsi plures amici sint, unum tamen fiunt, in quibus unus spiritus, & una sententia est, uel coniugali copula iuncti una caro. Præterea in tali conuictu, uel cœtu Ecclesiæ, teste Ambrosio lib. 1. Offi. cap. 33. fidei consortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communione, amicitia, & beneuolentia augetur, & crescit. Hæc enim etiã appellationes necessitudinum, reuerentiam filiorum, autoritatem & pietatem patrum, germanitatem fratrum sibi uendicant. Multum igitur ad cumulandum spectat amicabilem conuictum necessitudo gratiæ. A diuant etiam parium studia uirtutum: siquidem conuictus morum facit similitudinem. Sed nihil tam consociabile, quam cum æquitate iustitiæ: quæ uelut compar, & sociâ beneuolentiæ, facit ut eos quos pares nobis credimus diligamus. Tantum igitur ualet beneuolus is conuictus, ut plerunque pignora naturæ uincat.

Detur

Deturbatione bonorum conuentuum
Regnicolarum.
CAP. XIX.

SED heu dolor hic conuiuandi, aut congregandi pacificus modus, sæpe in ualefcente peste, sæpius annonæ caristia, ac bello, & sæpissimè inuidia, & liuore falsorum Christianorum, & detestabili hæreticorum machinatione fuerat perturbatus: sed nunquam in toto sublatus. Quia etsi tyrannorum suspicione (qua nihil frequentius est) à mutuis congressibus & commercijs multitudo, ne in unum congregiatur, ubiq; restringitur: tamen ut uiolentum crudeleq; imperium, atq; intolerabile seruitutis iugum efficacioribus armis & consilijs quandoq; excutiant, tempus aptum inueniunt, quo uel in campestri iudicio conueniant, uel nuptialibus festis, funeralibusq; pompis, uel nundinis intersint, aut publicis uenationibus arcendarum noxalium bestiarum, præsidis præcepto, uel communi urgente necessitate congregentur, uel hostes à littoribus amoueant: quo casu, & modo suscepto, dum nulla meliora supersint remedia, impacabili furore succensi, in aper tam prouunt rebellionem, ac quicquid atrocitatis ex ea dependet, impigerrimo labore deducunt: nec à furiosa ferocia desinunt, donec turmatim adaucti, arces & fortalitia tyrannicæ potestatis æquauerint solo, prout superioribus libris in parte uidetur expressum. Nolunt enim Gothi ac Sueci, seruili conditione nunquam geniti, tanquam noxales bestię præter legem & æquitatem, iusto reddito tributo, ad insolita uel impossibilia coërceri, prout ex ueterum immunitatibus illorum populorum licet intueri, quàm felices semper (æquitate defensa) fuerant, & præsidēs eorum miserrimi, qui magis feroci præsentia timeri, quàm amari conabantur.

De ritu orandi in Ecclesijs.

CAP. XX.



Gentes Septentrionales ex pagis remotissimis ad Parochias baptismales profectura, aliud genus armorum, præter ballistam, gladium, & securim, non ferunt. Ballistas inquam, propter feroces bestias, urfos præcipuè immanes, & insatiabiles lupos: qui tribus mensibus, Ianuario, Februario, & Martio plus solitos ferociunt, quàm reliquo anni tempore: quod interimantur eo apud Deum præmissio uoto, atque seruata fide, ut pelles feræ percussæ quasi pro sacrificio scabellis sacrorum altarium sub pedibus celebrantis offerantur. Et hinc est ortum, quod maximo, ac horrendo urgente frigore, super ursinam pellem stant sacerdotes celebraturi. Si uerò lupina pellis, aut lyncea, uel uulpina, aut alterius generis retibus excepta fuerit, pretium eius pro cereis Ecclesiæ fideliter adaptatur. Dixi præterea gladios, ut uim ui, si in insidis occurrerit, repellant. Deinde secures, propter arbores diris tempestatibus per transversam uiam eiectas, ut liberè transeant, excidendas, & amouendas, uel pontes subita inundatione perfractos celerius restaurent. Ferunt etiam lanceas loco baculi, ob aqueas fossas transiliendas. Habent nihilominus baculos annales, seu Calendarios (de quibus lib. primo cap. 34. dictum est) pro gestamine manuum: quibus docent, disputant, interrogant, & concludunt lunares coniunctiones, & opposi-

tionem, ac cursus, festa mobilia, ac fixa: pariter & signa dierum, infallibili experientia, quasi è libro declarata legerent, exponuntur & interpretantur.

De secūra positione armorum in atrio Ecclesię.

C A P. XXI.

Templa, seu Ecclesias parochiales ingressuri ruricolę Septentrionis, ante ualuas, siue in atrio absq; ulla furti suspitione prædicta arma, donec diuina absoluuntur præcipue tempore pacis deponunt, rursusq; ad propria reuersuri resumunt. Lege enim maiorum grauissima pœna sacrilegi reperti puniri solent: nec eius horrendi sceleris reus inuentus, ulla immunitate gaudebit: imo grauioribus affligi tormentis debet, dum contra Ecclesię libertatem, securitatem, & priuilegia delinquit. Similiter & in uia Ecclesiarum itinerantibus, insidias, aut uulnera inferentibus, singulari Principis lege infligitur pœna, quę ueluti grauioribus delictis annumerata Regio tribunali castiganda seruatur, quemadmodum etiam sacri Canonēs sanciunt, & Imperiales leges. Satisq; huic immunitati congruit 41. problema Plutarchi, quo dicit: Ita sacerdotes olim uenerabatur, ut ante templa, uel aras positi, sacram effigiem, & diuinum simulachrum repræsenterent: ad quod omnibus egenis, ac supplicibus tanquam ad aram confugere licebat: undē nec terreri, nec arceri omnino poterant. Quocirca in ipso ianuę uestibulo, ac limine eiusdem ponebantur lecticę. Qui uerò pedibus huiusmodi sacerdotum se prouoluissent, eo die ab omnibus plagis, ac pœnis tuti erāt: qui si prius uincti fuissent, ac ad eum accessissent, euestigio soluebantur. Vincula uero non per ianuam, sed per tectum sublata foras abijciebantur. Nunc autem dolendum est impijs persecutoribus uincula, catenasq; non sufficere, quibus atrocius Dei sacerdotes mille contumelijs afflictos alligent, spolient, et occidant: per quorum deuotissimas preces misericordia diuinitus acquiri consuevit. Sed rursus attēdant scriptum fore, Beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltauit mansuetos in salutem: in quorum manibus gladij ancipites sunt, ad faciendam uindictam, & ad alligandum Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis iudicium conscriptum. Et hæc est gloria omnibus Sanctis eius.

De miseria, & infamia sacrilegorum.

C A P. XXII.

Quia nimium familiare sacrilegis mentibus est, audaci impietate quęq; mala imaginari, & ea contra diuinam reuerentiam, & eius ministros atrocius exequi: fit ut in primis uel cultum diuinum totaliter auferant, uel in tantum bona diripiendo impediunt, ut tandem omnem substantiam Ecclesię, & clericorum occupent, ac uertant in commodum, & hæreditatem laicorum: ignorantes, uel scire non uolentes, crudelius mortis genus fore, uictu necessario sublato, hominem miserabili ac longo interitu fame occidere, quàm leui, licet duro compendio, fune, uel gladio, quocunq; solatio, destitutum, & nudum mortificare: imò in tantum blandiendo sibi mentitur eorum iniquitas, ut astute dicant, Non expellimus clericos ab Ecclesijs, uel monachos, aut moniales à claustris: sed bona eorum sub fiscum, & coronam mittimus, ut nihil amplius ab alijs exportandum relinquatur, sed his peratigendis noua eleemosyna distribuatur. Quod quàm execrabile, ac detestabile sit, ipsi uiderint, qui hac scelerata malitia infamiā sibi cōparant, & perpetuū cruciatum, ac stirpi, generationiq; suę aternā egestatem: quę in domo impij, ut lepra in leproso, hæreditaria lege manet. Constat etiā referente Theoderico Rege Gothorum de libertate cleri, quòd qui mendicitatem tollit à monasterijs, & claustris

claustris, eam inueniet in Principum aulis. Quod quàm uerum sit, secreta miseria plus edocet, quàm minuta hac pagina congruit enarrare. Verè possent hic præter mille alia testimonia ex nomine ostendi potentissima Principum, ac nobilium familiæ: quæ ut olim sorte sua contentæ sine sacrilegio, & uestium, & epularum inani luxu liberaliter in splendida opulentia (abundè propria egenis tribuentes) uixerunt: ita postmodum manus rapaces, ad sacra præsertim eraria, prætextu fictæ necessitatis mittentes, inopia pressi, ad aratra, ut sudore uictum quærerent, descendunt: sub quo indies iam gemere, & inconsolabiliter plures uiuere non ignoro. Aurum, & argentum pia manu collectum dum Ecclesia habuit, ne corruerent in abiectam conditionem, multis & magnis hominibus uel dando, uel mutuando succurrit. At postquàm inde sublatum est, nec reparari permittitur, quisque in maxima infelicitate experietur, quàm miserabile sit uiuere absque mutua subuentione fidelium Christianorum.

De nimia presumptione sacrilegorum.

CAP. XXIII.

EXtant apud Cassiod. lib. 12. notabiles epistolæ: quarum una sub titulo Edicti sic habet: Quid adhuc minimè audacia humana tentabis, si & ibi furta, ac sacrilegia porrigis, ubi te minimè latere cognoscis: ut illudas oculis fortasse mortalibus: quamuis iniqua, tamen aliqua uidetur presumptio. Quanta uerò cæcitate damnatur, qui se summus perpetrare, quod diuinitas non possit aduertere? Sed ne similis ulterius grassetur presumptio, aut diuinam patientiam frequens prouocare possit excessus, edictali programme definimus, ut qui in hac fuerit ulterius fraude uersatus, & militia careat, & compendium propriæ facultatis amittat. Grauiore siquidem pœna plectendus, qui usq; ad iniuriam diuinam, suam nihilominus tetendit audaciam. Habeant pauperes dona regnantium: possideant aliquid, quibus nulla facultas est. Cur aliena substantia in Regali largitate posita peruaditur? Possessio eius, stabile munus principis est. Quemadmodum presumat subiectus contingere, quod Deo respicit humilitatem dominantis offerre? Additur, quod talibus non dare tulisse est: & merito, quandò, qui potest esurientibus subuenire: si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere quibus iubentur offerre. Ultra omnes crudelitates est, diuitem uelle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra, horreantur damnosa compendia, nullus audeat inde tollere, quod possit collecta dispergere: addendo perdit, qui retinendo collegerit, & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.

De restitutione sacrorum uasorum S. Petri.

CAP. XXIIII.

Refert idem Cassiodorus eodem libro aliquot sequentibus capitibus, quod postquam Rex Gothorum Alaricus urbis Romæ deprædatione satius, Apostoli Petri uasa suis deferentibus excepisset, mox ut rei causam habita interrogatione cognouit, sacris luminibus deportari manibus diripientium imperauit: ut cupiditas, quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Sed quid mirum? si reuerendorum Sanctorum uasa diripere noluit, qui tanta se Urbis (à Stilicone laceratus) uastatione ditauit, Roma etenim, uel antecessor meus D. Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis lib. 15. historiarum suarum fo. 489, asserit gentium domina, Christianæ fidei domicilium, omni ope destituta capitur à Vestrogotho Rege, qui esset Arrianus, tamen longè mitius uictoriam in deuictos hostes exercuit, quàm complures nostri temporis Principes in subditos, & fideles ciues suam potentiam extendunt. Quamuis enim di-

repta

repta fuerat Roma, tamen sacris ædibus, & omnibus in eas confugientibus, quadam incredibili pietate parcebatur: imò ipsi Gothi plerumque Romanorum suis humeris in templa portauerunt, ne in cæteros milites minus clementes inciderent, prout S. Augustinus, & Orosius, hanc historiam iam sibi magis compertam traderunt. Ille enim in 3. libro de Ciuit. Dei cap. 28. Gothis admirandam clementiam tribuens, inquit: Gothi tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quòd aliquos peremerunt. Hic uerò Orosius lib. 7. cap. 28. miris exclamationibus in laudem Gothicæ gentis utitur. Ibi enim uidere licet, Gothos uehementer horruisse sacrilegia, & non solum sacra uasa aurea, & argentea, magnitudine, & pondere, ac pulchritudine pretiosissima, in sacras ædes retulisse: uerum etiam omnes tam ethnicos, quàm Christianos ad Sanctorum Basilicas confugere uolentes, e medio interiectu Urbis, exertis undique ad defensionem gladijs, saluos & liberos deduxisse. Hæcque contigerunt circa annos Domini cccc. xiiii, teste Sigisberto.

De Alarici 53. Gothorum Regis externi, rebus magnifice gestis, pietate, inq. deuotio hos hostes clementia. Ioan. Mag. lib. 15. suæ historiæ, his autem proximè præcedenti, habes supra lib. 9. cap. 46.



At postquam Theodosius pacis, generisq. Gothorum amator, apud Mediolanum immatura Reipub. morte præuentus est, Arcadium & Honorium filios eius, & in imperio successores, multæ suorum perfidiæ atq. insidiæ agitauerunt. Pater enim eorum, cum adhuc in imperio floret, tres habebat præcipuos exercituum duces, pares ferme opibus & autoritate, quibus totius imperij summam pro impuberibus adhuc filijs administrandam reliquit. Nam Rufinum Orienti, Gildum Africæ, Stiliconem Occidenti præficere curauit. Illi uerò uix dum defuncto Theodosio rapere sibi prouincias quisque suas adoriuntur. Siquidem Gildus, comperta Theodosij morte, mox sibi Africam, cõtempta puerorum Principum ætate, uendicare tentauit: sed in primo conatu ab illis, qui pro Honorij partibus stabant, occisus occubuit. Idem etiam Rufino Orientis imperium affectanti Arcadij iussu euenit. Stilico reliquus imperij dux gente Vandalus, militari disciplina excellens, successu rerum ingentes opes, amplissimamq. dignitatem sibi comparauerat, utpote factus bis socer Honorij Imperatoris, qui duas illius filias, Mariam & Erimantiam, cum prima obiisset intacta, in matrimonium accepit. Fuit et ipse parum erga iuuenes Principes fidelis, sed suam perfidiã maximis tegens dissimulationibus, nihil apertè contra Rempub. moliebatur: quin potius affectatum Eucherio filio imperium non prius inuadere constituit, quàm incautos Imperatores insuperabilibus calamitatibus inuoluisset. Ad quod nō multis armis opus habebat, cum compertum haberet, quoscunq. imprudentes Principes nulla alia re citius destitui posse, quàm perniciosi consilijs sub specie pietatis adductis.

Itaque primum omnium occultis machinationibus Sueuos, Burgundiones, Alanos, Vandalos proprijs sedibus excitos ad Romani imperij prouincias inuadendas concitauit. Alia uerò ex parte suadet Arcadio Orientem tenenti, ut missas faciat omnes Gothorum copias, quas in Moesia firmissimas habebat, leuaturus ea missione grarium a sumptu graui, & quotidiano: quæ omnia ad eius præscriptum potius, quàm consilium fiebant. Et nedum stipendia illis abstulit Arcadius, sed se eos contemnere, & a proprijs eorum sedibus propellere, palam ostendit. Præsenferat enim Stilico, ipsos Vestrogotos rerum necessariorum indigentia compulso, Romano imperio non leue negotium facturos, ut quàm primum profecti ex Germania Vandali, Burgundiones, Alani, & Sueui Gallias irrupissent, Honorius contra illos exercitum ducere cogeretur, & in tanto bello aut occideretur, aut destineretur, ne cæteris imperij partibus subuenire posset. Eumque in euentum secum in animo constituerat, bellum Italicum aduersus Vestrogotos sibi assumere, & quicquid copiarum esset reliquum Reipublicæ

Reipublicæ, secū rapere, cum quibus Vestrogothos (quod sibi facillimum fore confidebat) deleteret, atque eo imperio Roma, ac per ipsam imperio potiretur. Coepit autem eius propo-
siti executio in hunc modum: Anno imperij Arcadij & Honorij octauo, qui fuit salutis Chri-
stianæ septimus & quadringentesimus, Stilico ipse, & Aurelianus Consules sunt creati.
Quo anno Vestrogothi stipendio commeatuq; solitis destituti, in Pannonias secesserunt:
ubi de Rege creando cogitare coeperunt: caruerant enim proprio Rege: post defunctum in
Constantinopoli Atanaricum per annos uiginti quinque. Interea sub Gratiano & Theo-
dosio simul sex annis, & postea sub Theodosio solo undecim, atque sub Arcadio & Ho-
norio usque ad Stiliconis Consulatū, octo Reipublicæ stipendia meruerunt: & in eo
tempore nullos gentis suæ Reges, aliosūe duces habere curauerunt, quā ab Imperatori-
bus institutos.

Radagalius igitur in Pannonijs a maiore Gothorum parte Rex designatur, cum Alari-
cus a cæteris Gothijs etiam in Regem eligeretur. Fuisset hæc controuersia toti genti ni-
mis perniciofa, nisi prudentium uirorum consilio hoc modo pacata fuisset, ut Radagalius
primo atque idoneo tempore coactis quā maximis copijs in Italiam descende-
ret, Alaricus autem euentum rerum in Pannonijs expectaret. Itaque Radagalius non mo-
do maximis Gothorum copijs, sed etiam Hunnis & Vandalis usque ad ducenta millia
sibi coniunctis, per Venetianos saltus Italiam populabundus ingreditur. At Stilico, qui
summæ rerum præerat, cognito illius aduentu obuiam procedit, consilia hostis explo-
rat, & ad illud omni conatu intendit, ut incautum opprimat. Assecutus eum in Heruriae
montibus, atque ad iniquum congregiendi locum per insidias perductum graui bello
adoritur, usus singulari fortitudine illorum Gothorum, qui adhuc duce Saro imperio Ro-
mano militabant. Compulsus igitur per eos in montem Fesulanum Radagalius, inops con-
silijs, & cibi, urgente undique timore concluditur, agminaq; quibus antea angusta uideba-
tur Italia, latendi spe in unum ac paruum montium uerticem trudentur. Non disposita in
bellum acies fuit, non cædes acta, non sanguis effusus est, sed ludentibus Romanis tanti illi,
tamq; terribiles hostes, esurientes languentesq; confecti fuerunt. Rex uero Radagalius solus
spem fugæ concipiens, clam suos deseruit, atque in hostes incidit: a quibus captus, & pauli-
isper retentus, ac deinde interfectus est. Tanta uero captiuorum Gothorum multitudo ab
Italicis historijs fuisse refertur, ut in totam Italiam Gothica mancipia diffunderentur. Sed
hic iterum cum historicis, quemadmodum superius in tempore Claudij. expostulo. Si om-
nes Gothi cum suo Rege Radagasio supra ducenta millia penitus deleti fuissent, quomodo
rursus postea uix elapsis quatuor annis Alaricus alijs ducentis Gothorum millibus stipa-
tus Romam, & Italiam expugnasset?

Alaricus enim ex nobili & antiquissimo Balthorum genere ortus, suscepto Gotho-
rum regno, cum suis deliberando suasis, & facile persuasit, suo potius labore regnum qua-
rere, quā alieno imperio subiacere. Statimq; instructo exercitu, non minore quā nu-
per Radagalius duxerat, uirtutis suæ specimen ædere instituit. Quippe hic Alaricus du-
centorum millium armatorum agmine succinctus, Thraciam & Pannonias, omnemq;ue
Illyricum & Noricum, continentem quoque illi primam Italiae partem magnis stragibus,
direptionibusq;ue, ob odium, quod in imperium conceperat, afflixit. Quod quidem bea-
tus Hieronymus ad Paulam & Eustochium per id temporis scribens, in Sophonix Pro-
phetæ expositionibus, in hæc uerba ostendit: Iram quoque Domini etiam bruta sentiunt
animalia: & uastatis urbibus, hominibusq;ue interfectis, solitudinem & raritatem bestia-
rum quoque fieri, & uolatilium, pisciumq;ue: testis Illyricus est, testis Thracia, teste in quo
ortus sum solo, ubi præter cælum, & terram, & crescentes uepres, & condensa sylua-
rum cuncta perierunt. Traxit igitur Alaricus in Italiam manum illam Vestrogotho-
rum, Romanis stipendijs apud Constantinopolim assuetam. Cuius progressum quousque
Romam irrupit, partim ex Guidonis Rauennatis, partim ex Iustiniani Veneri historijs exe-
qui conabimur. Stilico enim (teste eodem Iustiniano) elatus ea uictoria, quam de Radaga-
lio assecutus fuerat, quod solus tam facile omnia administraret, maiorem in spem imperij ra-
piendi exarsit, Alaricum ueterem amicum multis nuntijs hortatus, ut in Italiam arma-
tus transcendat. Inde uero Burgundiones, Sueuos, Alanos, qui Rheni ripas infederant, cre-
berrimis nuntijs sollicitat, ut in Gallias transmittant: ipse interim Consul designatur. De-
inde cum quotidie nouos in Gallijs mo-
us excitari nuntiaretur, suadet Honorio, ut ad eos
sedandos proficiscatur: facile enim sua autoritate omnia componere possit: sese interea Ala-
rico occursum, quem in Italiam iter instituisse asseverabatur. Re igitur per Stiliconem ex sen-
tentia composita, eodem ferè tempore & Honorius in Gallias proficiscitur, & Alaricus a-
pud Rauennam castra locat. Deinde colloquio inter eum & Stiliconem habito, pollicetur
Stilico

Stilico daturum se operam apud Honorium, ut in Italia, aut Gallia habeat sedes, & stipendium. Grata erat Alarico conditio, quæ offerebatur. At callidus Stilico simulat se eius conditionis responsum ab Honorio expectare, illo tamen uastro consilio, ut si quid de Honorij casu interim intelligere possit. Postea uero quàm Alaricus bis aut ter Stiliconem de promissis appellatum rem differre animaduertit, fraudem aliquam subesse uereri cepit, & importunius colloquij finem urgere. At contra Stilico trahere omnia, & alias, deinde alias moræ causasnectere. Sunt qui scribunt, toto triennio rem a Stilicone ductam, dum concepti sceleris tempus, & occasionem quærit. Imo sunt qui scribunt, Stiliconem, quia dux excellens, & rei militaris pericia præditus erat, facile Gothos uincere potuisse, si uoluisset.

Cum uero Alaricus ludos sibi liquido dari perpenderet, Honorium clam per oratores docuit perfidiam Stiliconis, orans, obtestansq; sedes sibi in ea Galliarum parte dari, in quam Sueuos, Alanos, & Burgundiones (ducibus Vandalis) breui irrupturos apparebat: contra quorum insultum se pro Romano imperio pugnaturum promittebat. Reiciuerat uero Honorius, plerisque alijs deferentibus, quid Stilico moliretur. Quare ad eum scribens, iussit ut cum Gothis pacem faceret, illisque diem statueret, infra quam Italia profecti in Gallias se conferrent. Literis itaque ab Honorio Imperatore acceptis, Stilico pacem cum Alarico, Vefgothisq; prout iussus erat illico firmavit, & profecturis quæcunq; itineri duxerunt necessariis, summa cum amoris liberalitatisq; simulatione concessit. Quos postea intelligens in ita pacis fiducia, & profectiois solitudine omnem belli curam abijcere, nullis castris se omnino munire, sed salutem suam nimia securitate negligere, sacrum paschatis diem delegit, in quo partim religione otiosos, partim epulis et uino obrutos, ad unum omnes confodi posse confideret, imperat Sauli Hebræo homini, cui summam rerum apud castra demandat, ut cum delecto copiarum flore sacrosancto paschatis die Gothica adoriatur castra. Ipse interim Romanam proficiscitur. Iudeus autem, ut imperatum erat, primo die paschatis Gothorum castra inuadit. Oritur ingens in castris tumultus: quo Alaricus percussus, primum cunctatur quid agatur: at postquam hostem esse armatum cognoscit, elata uoce deprecatur per Christi fidem, si humana non ualeat, ut eo die prælio abstineat, & in crastinam lucem expectet. Quibus uerbis Iudeus magis prouocatus, acrius insistebat, atq; urgebat. Romani uero in summam admirationem ducebantur, cum uiderent neminem Gothorum armatum progredi, sed uulnera potius, mortemq; pati, quàm arma capere, id quoq; unum agere, ut uocibus & manibus in cælum leuatis, diuinam opem obtestando, auxilium ex alto poscerent, admirandum cunctis seculis exemplum reliquentes, quod potius mori, quàm se defendendo Christianæ ecclesiæ festum uiolare uoluissent. Cæterum impellente Iudeo, & pugnam magis atq; magis accendente, morus in uindictam Deus animos Gothorum tum impietate, tum perfidia Romanorum oppressos erexit.

Alaricus siquidem, posteaquàm tam impiam uider hostis pertinaciam, cõuersus ad suos: Persoluimus, inquit, commilitones Domino Iesu Christo, quem debuimus honorem: ipse nobiscum poenas de tam scelerato hoste requirat, qui nisi nostrum sanguinem biberit, nullo modo ualeat satiari. Agite signiferi, educite signa, negligite castra: non ad tuenda ualla nati estis, uirtutem patriam in acie sagittis, gladiisque declarate. Hac fatus ipse primus cum globo militum uix satis armatus in hostem fertur: tanta continuo animorum conuersio facta, ut Gothi uelut in rabiem uersi, ex omnibus castrorum portis erumperent. Romani (ut diximus) prius incredibilem Gothicę gentis pietatem admirati, cum primum aduersa in se signa ferri conspiciunt, suspenduntur animo tum religione, tum metu. Sed quod consilium & quis conatus efficax esse poterat aduersus iratum & inuictum Deum, et pro innocentia Gothorum tunc agentem? Quamuis enim Romani perfidorum Iudeorum auxilio subnixi acerrimis animis pugnarent, tamen inualeſcentibus Gothorum uiribus & armis, in una pedum pernicitate salutis spem ponere cogebantur. Deinde quocunq; fors tulit dissipati, palantesq; illi paucissimi, qui cede supererant, ferebantur. Quippe ad internecionem pene deleti fuerunt. Castrisque Romanorum occupatis & direptis, Gothi spolia diuiserunt. Profligati per hunc modum Romani infelicissima omnium pugna, quas octingentis ab annis fecissent, Stilico interim ad eius stragis nuntium animo erat plurimum confternato, præsertim quia intelligebat Gothos, omisso transitu in Gallias, in se confestim exercitum cõuersuros. Proinde exercitum reparaturus, supplementum ab Imperatore postulauit. Immisit uero Honorius duces, qui dignam ultionem de perfidia Stiliconis sumperunt. Eoq; modo Stilico ipse, qui (iuxta Orosij uerba) ut unum puerum purpuram indueret, totius humani generis sanguinem dedit, cum Eucherio filio, cui parabat imperium, est occisus.

Quippe Alaricus aliquot dies tum recipiendis, tum subigendis urbibus absumpsit. Deinde superato Apennino Romam ducit, nullis obuiam factis. Tandem urbs Roma gentium

rium domina, Christianæ fidei domiciliū, omni ope destituta capitur à Vestrogotho Rege: qui etsi esset Arrianus, tamen longe mitius uictoriā in deuictos hostes exercuit, quā complures nostri temporis Principes in subditos, & fideles ciues suā potentiam extendūt. Quamuis enim direpta fuerit Roma, tamen sacris ædibus & omnibus in eas confugientibus quadam incredibili pietate parcebat: imò ipsi Gothi plerisque Romanorum suis humeris in templa portauerunt, ne in ceteros milites minus clementes inciderent: quanquam Hieronymus in Epistola de obitu Marcellæ ex rumore scribens affirmet, hanc urbem Romæ direptionem non sine graui seueritate, & cum magna armorum licentia perpetratam. Sed audiendū sunt potius S. Augustinus & Orosius, qui hanc historiam sibi magis compertam tradiderunt. Ille enim in tertio lib. de ciuitate Dei, cap. 28. Gothis admirandam clementiam tribuens inquit: Gothi tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quod aliquos peremerunt. Hic uero Orosius lib. 7. cap. 28. miris exclamationibus in laudem Gothicæ gentis uidetur. Ibi enim uidete licet, Gothos uehementer horruisse sacrilegia, & non solum sacra uasa aurea & argentea, magnitudine & pondere ac pulchritudine pretiosissima, in sacras ædes retulisse, uerum etiam omnes tam Ethnicos, quam Christianos ad Sanctorum basilicas confugere uolentes, è medio interiectu Urbis exertis undique ad defensionem gladijs saluos & liberos, deduxisse. Præterea diuinum furorem ob nimiam eorum clementiam prouocatum, eodem tempore clarissimæ Urbis loca, quæ Gothi inflammare nequiuērunt, fulminibus diruisse: imo, ut nonnulli putant, ipsum Alaricum, quod superbam Romanorum lasciuiam, & blasphemiam non satis corripuisset, breui extrinxisse, quemadmodum olim illum Saulem Hebræum, quod Amalechitis contra diuinam uoluntatem pepercisset.

Siue igitur paruo (ut inquit Orosius) negotio, siue post passam à Romano populo (ut alij uolunt) acerbissimam famem, Gothi sub ductu Alarici Regis urbem Romam rerum ad id temporis dominam occupauerunt, ab ea die (quam Calēdarum Aprilis fuisse satis constat) destinata hæcenus Romani imperij inclinatio inchoauit, anno uidelicet à Christo nato quadringentesimo duodecimo, ab Vrbe uero condita sexagesimo quarto supra centesimum & millesimum: fuitq; hæc secunda Romanæ urbis captiuitas post illam, quam à Brenno Gallo olim passa fuit. Ac si intuentur comparentur Brenni, & Alarici uictoriæ, superat profecto Gothus gloria Gallum. Ille modicam adhuc Urbem cepit, & pastorales casus eius flamma consumpsit: hic gentium omnium Reginam. Ille arce frustratus, atq; inde repulsus: hic tota potitus Vrbe, partim spoliata, partim incensam reliquit. Profecti Urbē tertia die, quam ingressi fuerant Gothi, Campaniam, Lucaniam, & Brutios populati sunt. Fretum postea transire, ut Siciliam diriperent, conatos tempestas exorta prohibuit, quæ nauibus allisis aliquot cohortes absumpsit. Iplis interim in uarias sententias an regrediendum, uel progrediendum esset distractis, moritur Alaricus, morbo correptus apud Cosentiam, anno uix dum à Romana direptione circumactis: quem gens iacturam sepulchri plurimi facere solita, ne ultio aliqua in mortua ossa possit exerceri, in deriuati amnis alueo condendum curauit, loculo ditissima Regis suppellestili complero. Et ne post eorum profectionem sepulchrum eius ab incolis sciri posset amne in cursum restituto, fossorēs qui operi interfuerant, trucidarunt:

De sacrilegijs, & differentijs, ac pœnis eorundem.

C A P. XXV.

NE autem quempiam lateat horrendi criminis huius sacrilegij, hæresis, æschismatis execrabilis impietas, censendum est id fieri, quoties uel personis uel locis sacris (ut D. Brunus lib. 5. cap. ultimo de hæreticis integrè asserit) iniuria irrogatur, aut Ecclesiastica bona profanantur. Ac primum quidem, ut uarij sunt gradus, & dignitates sacrarum personarum: ita uariæ quoq; pœnæ sunt sacrilegij, quod in personas Ecclesiasticas perpetratur. Siquidem alia pœna in eos statuta est, qui hostilem & sacrilegam manum in S. Ro. Ecclesie Cardinales iniecerint: alia in uolutores Episcoporum: alia in eos, qui sacerdotes, & clericos uiolenter inuadunt: alia in raptores sacrarum uirginum, & rerum Deo ac Ecclesijs dedicatarum. De quorum pœnis infligendis satis iusta, & seuera prouisio in municipalibus regnorum Aquilonarium legibus facta est, si alias iura uigorem, & executorem haberent, iuxta criminum excessum, & atrocitatem. De D. Cardinalium rarissimè illuc uenientium, offensoriibus, non minor pœna sumeretur, quàm si Regia maiestas læsa foret: hoc est, cōdemnatio ad truculentissimā mortem. Sed is casus nunquam

FF accidit

accidit in his terris, quin potius tam sublimibus personis omnis reuerentia, et obedientia exhiberetur, quæ summo principi ostendi posset, & deberet, prout charissimus frater & antecessor meus D. Io. Magnus Gothus declarat in sua Metropoli Vpsalensi. Pariter & alijs S. Rom. Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ legatis, ingenti honore & liberalitate semper susceptis, Deoq; propitio suscipiendis. Violatores uero Episcoporum uti plures, & grauiores sunt, ita & legibus humanis difficultes arceri, uel iudicari possunt: nisi Deus, qui pro ipsis corripit Reges (quibus & præcedit, ne tangerent christos eius) suo iudicio per legitima tribunalia iudicium fieri præcipiat, ut proscribantur, deponantur, ac degradentur: quemadmodum & multi Imperatores, Reges, Duces, Comites, & Equites aurati pro enormibus delictis deponi, & puniri solent: ne alicuius effrenis impietas inulta linquatur, donec Deus arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Ideoq; nullus in sublimi potestate constitutus præsumat alienum iudicare seruum, qui domino suo stabit.

De portentosis sacrilegis, & eorum infami uita,
& horrendo fine.

C A P. XXVI

COgitent ergo audaces sacrilegi non frustra summos Pontifices tam Canones, quàm ipsos Imperatores leges aduersus uiolatores communium sepulchrorum seueriter statuisse: quanto magis in eos, qui tumbras sanctorum Martyrum desolare præsumunt? Propterea perpendant, ac reuoluant ueteres, ac nouas historias, & nullibi inuenient sacrilegos aliter, quàm infami morte defecisse. Probathoc sufficienter Trogius Pompeius, & eius abbreviator Iustinus: ex quibus nonnullos adducere placuit, ut formident Christiani sacrilegia committere, quando tam infelicitè ea temeritas successerat, etiàm illis, qui idola coluerunt. Cambyses (inquit Iustinus) Persarum Rex ad Ammonis templum expugnandum exercitum misit: qui tempestatibus, & arenarum molibus oppressus, interijt. Xerxes quoq; Persa quatuor millia armatorum Delphos ad templum Appollinis diripiendum misit: quæ manus tota imbribus, et fulminibus deleta est. Philomenes Grecorum Phocensium dux, postquàm Apollinis templum spoliauerat, sequenti prelio primus inter confertissimos hostes dimicàs cecidit, & sacrilegij pœnas ipsissimo sanguine luit. Brennius Gallorum dux, quasi terrena spolia sorderent, animum ad deorum templa conuertit, scurriliter iocatus, Locupletes deos largiri hominibus oportere. Sed idem postmodum cum dolorem uulnèrum ferre non posset, pugione sibi & infamem, & crudelem mortem consciiuit. Antiochus Syriæ Rex sperans se sub specie tributariæ necessitatis excusatus sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum Dindymæi Iouis aggreditur: qua re prodita, concursu incolarum cum omni militia interficitur. Totus etiàm ille Brenni exercitus (qui Tholosam reuersus est) comprehensus pestifera lue, non prius sanitatem recuperauit, quàm aurum argentumq; sacrilegij quæsitum, in Tholosensem lacum mergeret: quod longo post tempore Cæpio Romanus Consul abstulit: quodq; sacrilegium causa excidij Cæpioni, exercituiq; eius postea fuit. Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus, uelut ultor sacræ pecuniæ, insecutus est.

De Xerxis Sacrilegio eiusq; pœna: ex hist. Ioan. Mag. lib. 3. Quia autem
Darius pater ipsius, huic expeditioni ansam dedit, paulo
altius historiam præsentem repetiuimus.

Anthinus Gothorum, cum adhuc in Cimerijs habitaret, Rex erat, circa ea tempora, quando Romana Respublica ob uiolatam honestissimæ Lucretiæ pudicitiam, ad illam memorabilem mutationem deuenit, qua Regum autoritas abrogata, & Consulatus substituta fuit, Neg

Nec tunc longe aberat tempus, quo sanctissima mulier Iudith Holofernem potentissimum Persicæ militiæ Principem (ne ab eo uiolaretur) occidit. Quo occiso, tota Persarum monarchia concussa est, & mutata. Darius enim unus ex septem Persicæ libertatis assertoribus (ut habet Herodotus libro 3.) cognomento Hytaspis, summa astutia usus, non diu distulit eandem monarchiam occupare: qui etiam cæco mulierum amore correptus, Anthini Regis filiam per legatos in matrimonium postulabat, adiectisq; legationi minis, bellum nisi petitis consentiat, indicit. Cuius affinitatem Gothi spernentes, legationem illam frustraerunt. Quem contemptum Darius tanta indignatione suscepit, ut in eius uindictam totum suæ monarchiæ principatum ad grauissima & periculosa bella conuocaret: magna scilicet ratione (inquit Orosius) ut propter unius hominis libidinem septingenta, siue (ut Diodorus ait) octingenta millia uirorum periculo mortis exponeret. Vix enim credibile uidetur, quantus fuerit ille bellorum apparatus, ut tot millia armatorum incederent. Ego huic relationi non crederem, nisi graues auctores tantum numerum tradidissent, præsertim ipse Diodorus Siculus, qui lib. 3. ingentes exercitus Nini, Darij Xerxis describit. Insuper ait Dionysium ex uenica Siciliæ ciuitate Syracusana exercitum peditum centum triginti, equitum duodecim milium confectis: naues quoq; magnas partim triremes, partim quinqueremes, ad quadringentas ex uno eduxisse portu: præterea Romanos ante bellum Hannibalis ex ciuibus, & socijs suis, decies centena millia ad bellum apta descripsisse. Quocirca nullus ex hac, quæ nunc est, urbium solitudine, priscam illarum gentium expendat copiam. Sed nunc ad Darium redeamus: cuius ambitioni quem fructum tot labores, tot itinera, tot expensæ tandem pepererint, declaremus: ingressi enim Persæ in Cimerias terras, magis contemptibiles, quam formidabiles à Gothis putabantur. Quippe Gothi nec ad æquam pugnam, nec ad deditiōem se conuertebant, sed extrema copiarum lacerantes, plus negotij eis lecerunt, quam si aduersa fronte eis congressi fuissent. Darius igitur admirans quod populus ad bella & arma natus nusquam in aciem prodiret, missis ad Anthinum Regem legatis, inquit cur Gothi ita latebras captaent, & qui fortissimas gentes, ac remotissimas terras & nationes importunis armis impetere atq; subiugare consueuerant, nunc nec in aciem procederent, nec se usquam ad apertum Martem paratos ostenderent, sed pristinae uirtutis immemores, se in seruitutem (nullo adhuc bello fugati) redigi paterentur. Si Persarum imperium agnoscere uellent, dona in signum subiectionis mittere curarent: sin minus, ad pugnam se præpararent, libertatemq; suam armis defenserent. Quibus Rex (teste Valerio Maximo lib. 5. de Dario Rege) respondisse fertur: Gens hæc nostra non consueuit se ad arma, nisi eam magna ratio impulerit conuertere, cum nihil in hac terra possideat, pro quo uelit se disci i nini uirg subijcere, præter sola sepulchra maiorum suorum: quæ si quis uiolare tentauerit, sentiat se cum uiris negocium habere, qui religionem à maioribus traditam enixius quam uitam propriam tueantur. Reliqua omnia, uicos, uillas, arces, oppida, urbes, parum æstimantes, ne erigere quidem curamus, tantum abest ut pro eis mortis pericula suscipiamus. Sedes nostras sæpe pro consuetudine mutamus: idq; nunc propter aduenas facimus, non aliquo bellorum meru coacti sed ut cedere solemus aëri corrupto, aut bestijs noxijs. Cæterum quod Darius se nostrum dominum uocet, minime ratum habemus: nam sicut à seruitute remoti sumus, ita plurimum à dominio eius distamus. Quod autem munera à nobis exigat, operam dabimus, ut opportuno tempore talia mittantur, qualia in his terris nostra fortuna permittat.

Itaq; ea legatione Darius magis prouocatus, quam pacatus, ad interiora urget præcedentes. Visti sunt Gothi aliquando aciem ostentare: quo comperro, Persæ ad bellum se continuo præparauerunt. Iam erant acies ordinatae, nec aliud præter signum lituo dandum restabat, et ecce lepisculus ex medijs dumetis accurrit. Tum Gothi subito clamore facto, coeperunt hostium præsentia non amplius recordari: omnia uoluntate pugnandi, cum pauci leporem insectantur, alij dilabuntur: ipsiq; Persæ hostes subito auolantes admirari poterant, insequi non poterant, cū Gothi equitatu & uelocitate semper præualerent. Darius igitur assumptæ prouinciæ poenitentia ductus, ad suos procures inquit: Ludificamur planè ab hominib. istis: et ut apparet irridemur, quādo unius leporis cursus omnē eorum respectum à nobis, & tot fortissimis militibus nostris auertit. Nec diu post Gothorum legati ab Anthino Rege missi, tria munera minime preciosa Dario Regi offerunt, auem, murem, ranam. Persarum procures Regem aspiciunt, & Rex eos, dimissoq; in terram uultu, uisus est dicere: Hæcine sunt præmia tot laborum & itinerum, & periculorum nostrorum: hæcine sunt tributa, propter quæ oportuit septingenta millia uirorum armari, & in pericula mortis per tot discrimina rerū deuenire? Tandem post aliquantulum silentium, quod ridiculosa munera consecutum fuerat, Rex à legatis sciscitatur, quid sibi uelint hæc res Regi à Rege missæ. Ille se nihil earum rerum scire respondet, nec quicquam sibi commissum fuisse, quam ut illa perferrent & presentarent.

Tum adulator quispiā, qui nunquam in domibus Principū abesse solet, optatā occasionem se allocutū fuisse gauisus, importunē se ingerendo Dariū alloquitur: Rex (inquiens) optime maxime, quicquid usq; in cælo, terra, mari, id totū illa gēs tibi subiectū cōfiteretur. Siquidem hoc declarāt hec uiuētia: quorū auis ex aëre, mus ex terra, rana ex paludibus producit. At Gobries, unus ex septē Persarū primoribus, capite canus, cōsilio fidelis, eloquio uerax, cum cōsideraret Dariū in assentatoris sententiā cōsensisse, nō passus est ueritatē adulatoriē superari, sed libera uoce clamat: O Persę, nisi aut cū auibus auoletis, aut cū ranis fluminē trāseat, aut cum muribus terrę cauernas aperiatis, non erit quarta uia de manibus hostium elabendi.

Mouit ea interpretatio Regem, ut primam curam de saluo reditu ante alia quæcūq; negotia adhiberet, ratus quod tunc compertum haberet, nimis periculosum esse cōtra eos pugnare, qui in armis & laboribus nati, nullam rem fortitudini militari præferrent, diuitias sordes putarent, magnificas urbium structuras, ut inutiles occupationes æstimarent, uoluptates contemnerent, delicias conculcarent, ocia fugerent, labores amplecterentur, hyemem & æstatem iuxta paterentur, humi quiescerent, & quicquid durum atq; asperum esset, inuisito animo sectarentur. Proinde formidans ne sibi reditus, interruppro ponte Istri fluminis, negaretur, celerius quā felicius ex terra hostili sese abripere procurauit. Gothi enim explorata eius ad redeundum uoluntate, uelocissimo cursu uiarum compendia quærentes, prius ad pontem, quem Darius sub custodia reliquerat, perueniunt. Sed pontis custodes iam a parte Scythici littoris ipsum, ne insidijs aptus esset, dissoluerant: ad Persarum autem reditum mox repararunt suos: ut secuta fuga salutem quærent, transuecturi: sit in littore atrox prælium, in quo Persę fusi, fugatiq; ad irreparabilem ruīnam corruerunt. Erat in eo Persico exercitu Antenor Francorum Rex (ut ex Hunibaldo Francorum historico colligi potest) a Scandianis siue Gothis occisus: cuius filius Marcomirus oraculo monitus est, ne temere Gothos sollicitaret, teste Irenico lib. 3. cap. 76. Rex tamen Darius per summam difficultatem elabitur, cum maiore exercitus parte, amissis octoginta millibus fortissimorum pugnatorum, quæ ille in damnis non computabat præ nimia militum multitudine, qua succinctus adueniat. Hic tamen Herodoti historia dissimulanda non est, qui affirmat Gothos in Thracia a Dario superatos. Sed non repugnat illam Getarum partem, quæ relicta Thracia resederat, ab ipso superatam fuisse, & illam quæ relicta Thracia ad latissimas Cimeriæ terras redierat, rursus Darium superasse. Sed nec fuga, nec mors Darii finem Persico bello imponere ualebat. Xerxes enim filius eius, & in Persico regno successor, paternam iniuriam a Gothis acceptam, tam tenaci memoria conseruabat, ut prius omnium aliarum rerum quam ipsius obliuisci posset, aut uelle crederetur: statuitq; prius experiri omnia illa difficillima negotia, atq; incommoda, quæ Reges bellum gesturi sufferre coguntur, antequam deponere posset tam uehementem animum uindicandi. Igitur septingenta armatorum millia exemplo patris sui in militiam conscripsit. Sed cum nec tantum exercitum contra Gothorum potentiam satis esse putaret, adiecit trecenta auxilium copiarum millia: quæ tunc adhuc parum sufficere uiderentur: adiunxit etiam mille rostratas naues, ac tria millia nauium onerariarum.

Quibus copijs etiam non solum Gothi, sed toti orbi formidabile bellum inferre posse putaretur, attamen ut principio terribilis, ita exitu inanis & contemptibilis apud omnes haberetur. Quippe Cimerias Gothorum mansiones aggressus, quum consideraret suam Persicam gentem & pompam ab animosis hostibus non timeri, sed aperte contemni, subsistit, & quid consilij capiat, inquit. Tandem quum nec semel cum hostibus congredi tentasset, bellum in Græciam tanquam facile superabilem conuertit: ubi infelicissimo prælio confecto, multisq; sine numero amissis, uix ipse turpissima fuga ad ludibrium fortunæ reseruatus euasit, pœnasq; perpetrati nuper sacrilegij persoluit. Enimuero (ut testatur Iustini historia) ante naualis prælij congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum, prorsus quasi non cum Græcis tantum, sed cum Dijs bellum gereret: quæ manus tota imbris & fulminibus deleta est, ut intelligeret, quanto grauior offensa Deorum esset, tanto nullas esse hominum aduersus Deos uires: ipsiq; hostis infeliciter fugiens, piscatoria scapha timens & trepidus elabitur. Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ fortis uarietate miranda, in exiguo latente uidere nauigio, quem paulo ante uix æquor omne capiebat: carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terræ graues erant. Nec pedestribus copijs, quas ducibus assignauerat, felicius iter fuit. Siquidem quotidiano labori (neque enim ulla est mentientibus quies) etiam fames accesserat: multorū deinde dierum inopia contraxit & pestem tantāq; sceleris morientium fuit, ut uix cadaueribus implerentur, alitesq; & bestię escarum illecebris sollicitatæ, exercitum sequerentur. Hec Iustinus in memoriam & ignominiam sacrilegi tyranni sempiternam: cuius turpem atque infamem exitum, si nostræ ætatis Principes,

Principes, qui se sacrilegio felices, & inclytos fore confidunt, attenderent, forsan rapta reporent, & suos haeredes potius uirtutibus claros, quam uiriorum sordibus obscuros, post se relinquere curarent.

Adhuc de similibus sacrilegis.

C A P. XXVII.

Alexander Syriae Rex, cum militibus stipendia deessent, in templo Iouis solidum ex auro Victoriae signum tolli iubet, facietis iocis sacrilegium circumscribens: nam uictoriam commodatam sibi à Ioue esse dicebat. Interiectis deinde diebus in sacrilegio deprehensus est, & à suis desertus, à latronibus capitur, perductusq; ad hostem suum Gryphum, interficitur. Hi pauci ex tota multitudine sacrilegorum adducti, documento esse possunt, non semper uerum esse, quod sacrilegus Dionysius Siculus iocando dixit, Ecce quam securi nauigant sacrilegi. Profecto non omnes hactenus securi nauigauerant aura, praesertim in Suetia, & Gothia: de quibus mihi specialis sermo est: qui uel Ecclesiam oppresserant, uel auxiliares manus ab ea retraxerant. Noui enim aliquem ex Principibus regni Gothorum quingentos equites in quotidiana familia satis magnifice aluisse: cuius soror circa annum Domini M. D. XXXV. in ordinem plebeiae multitudinis redacta, poenam patitur, quod maiores sui non satis pijs fuissent in Ecclesiam, & Dei ministros in quos ne praedium aliquod conferrent, uoto pertinaci sese dudum astrinxerunt quo casu multi à summo culmine nobilitatis ad uilissimam conditionem sunt detrusi. Iustum quippe est, ut ignobiles fiant, qui Deum, à quo est omnis nobilitas, in Ecclesiae ministris contemnere non uerentur. Neq; opus est ad confirmandum hoc argumentum, exempla à diuinis literis petere: nam sacra historia uix aliquid frequentius, aut horribilius inculcat, quam horrenda illorum tyrannorum, & sacrilegorum supplicia, qui ab initio institutae Ecclesiae, diuino sacerdotio iniurias, irreuerenti, & teroci ingenio irrogarunt. Dionysij Tyranni Siculi, nec non Grimmeri 32. Gothorum & Sueonum regis interni, uidem tyranni. Sacrilegia habes supra lib. 9. pag. 389 ex Ioan. Mag. lib. 4. Qui hos insignes Sacrilegos appositissime inter se confert: & certe statueramus eam historiae partem hic apponere sed, prater uoluntatem, secus accidit.

De plagis sacrilegorum &c.

C A P. XXVIII.

VNum tamen hic ex Iosue 7. referre congruit de Achani: qui inter sexcenta millia pugnatorum, iussu Domini per tribus, familias, domos, & nomina questus, repertus, & confessus est hoc modo: Vidi inter spolia pallium coccineum ualde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamq; auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli, & folla humo abscondi &c. Quae omnia extracta, & profecta ante Dominum, tulit Iosue, filios, filias, boues, oues, asinos, tabernaculum, & cunctam suppellectilem ipsius Achani: quem & duxit ad uallem Achor, & ait illi: Quia turbasti nos, exturbet te Deus in die hac. Lapidauitq; eum omnis Israel, & cuncta quae illius erant, igne consumpta sunt lapidum aceruo id restante in hunc diem: locusq; uocatur Vallis Achor in sempiternum. Quo facto auersus est furor Domini ab Israel, ut denuò ad gratiam recepti, de inimicis triumpharent: pauciq; eorum percusserunt uno die 12. millia oppressae ciuitatis, & Regem suspendarunt. Solq; & Luna ut uictores in ceteros hostes, quinque scilicet Reges potentissimos fierent, stationem sui cursus annuerunt. Prater ea cunctas gentes inimicas eis resistentes, in omnibus terris circumiacentibus, speciali numero Reges 31. gladio, furca, incendio, uel lapidibus deleuerunt. Domini enim sententia fuerat,

Ff 3 ut indu

ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent. Domino enim, & Moſi ſeruo eius (prout nunc inconuertibiles ſacrilegi, & hæretici) ſemper duriffima ceruice reſtiterunt, et indies adhuc reſiſtunt, donec ſimiliter, aut grauius puniantur. Vnum tamen hic addendum ueniet, quomodo durus ille perſecutor populi Domini Adonibezech, fugiens è prælio, Iſraël comprehenſus eſt, & caſis ſummitatibus manuum eius, ac pedum, in ſquallore ſedens dixerit: Septuaginta Reges amputatis manuum, ac pedum, ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus: ne forte ſacrilegi pungentis conſcientiæ flagitium (ſame Eccleſiaſticas perſonas occidendo) cum Lamech dicere cogantur, Occidi uirum in uulnus meum, ſeptuplum ultio dabitur de Cain, & de Lamech ſeptuagies ſepries, quia millies audierant, & audiunt cauendum eſſe ab hoc nequiſſimo & crudeliſſimo facto: quia opprimunt alium, ut ipſi oppreſſores ſemper grauius torqueantur, prout uideo D. Ambroſiũ Politem Archiepiſcopum Compaſanum ſuper quartum caput Gene. diligenter annotaſſe, uidelicet inferentem alteri iniuriã, ſibi primum & maximè inferre. Poſſent quidẽ uiri Eccleſiaſtici uim ui quandoq; repellendo, graues ulciſci uiolentias, aut duras auertere perſecutiones: ſed cū in bono uincendum ſit malum, ſcuto patientiæ aduerſa grauiſſima uenient toleranda: ut forte eo genere pugnandi ſeſe à mortifera uexatione, & proximum à malo propoſito, & peſſimo opere liberare poſſint, exemplo & conſilio beati Gregorii: qui de ſe ipſo (ut prædictus D. Archiepiſcopus Ambroſius cap. præallegato refert) teſtatus eſt, ſe potuiſſe Longobardorum tyrannidem debellare, ita ut ne unus quidem in Italia remaniſſet: maluſſe tamen cum cæteris iniquum ſufferre ſugum quàm ſe Dei, et Chriſti Regis pacifici uicarium ſanguini admiscere. Verum tamen ea meſura & modo ferenda eſt iniuria, ut non conturbetur Reipublicę tranquillitas, & commune bonum.

De remedijs ſacrilegiorum auertendorum.

CAP. XXIX.

Conſiderata prædicta Prælatorum indicibili patientia, uitæq; ſanctitate, & horrore tam immenſi ſceleris, & infamia ſobolis procreatæ, ac procreandæ, grauiq; Eccleſiaſtica cenſura & multis ac infinitis malis, ex odio & diſcordia ſecuturis, ſæpiſſimè Reges & Principes Aquilonares, offenſos Episcopos & prælatos, ob uitæ ſanctitatem & admirandam fidei conſtantiã, ne illatę iniurię Deo ultore uindicerentur, recipere ſolent ad gratiam & fauorem: quemadmodum potentiffimus Rex Suetię Magnus cognomento Ladalaas, cum ſanctiſſimo Antiſtite Brynolpho Scarenſi ſeditioſis procurantibus pro hoſte reputato, atque pluries ad mortem quæſito, celerrimè cunctis admirantibus, & congratulantibus in gratiam uenit. Die erenim Aſſumptionis beatiffimę Virgini dedicato, circa annum Domini M.C.C.LXXXV. ſolenni miſſa Pontificis audita, depoſitisq; à ſe, & ſatellitibus ſuis omnibus armis, ante pedes altaris & præſulis ſe proſternens humilimè ſcelerati propoſiti ueniam ſub Eccleſiæ diſciplina petiuit, & accepit, Pontificem in arcem ſuam Regiam, honorificè, ut ſecum pranderet adducens: indeq; ſecutum eſt, ut ſerenior conſcientia Regis fieret, & Episcopos ac clero eius ubique daretur tranquillitas maior: quod exemplum neceſſitate per occaſionem exorta, quantò magis & Reges, & Præſules (ſecluſis ſuſurronibus) in mutuam gratiam redeuntes, ſecuti fuerint: tantò quietius, & amœnius utriuſq; gubernia ſolidantur, & creſcunt. Dixi, ſuſurronibus ſecluſis: quia hi ut detractores clam & ſecretè, imò & publice ita innocentes plerunq; in moribus, uita, fama, & omni actione maculant, ut grauius ea malignitate feriant, quàm ſi eiſdem in fronte & oculis infligerent uulnus. Magnam ſortitus eſt laudem Sereniſſimus Princeps regni Suetiæ

Squanto

Suanto, qui tales artifices uenenatae linguae nunquam passus est altero absente alii quid enarrare: sed iussit hunc eo loco, quo loqui, uel detrahare coepit, donec pars altera responsura accederet, firmo pede manere. Idem sine dubio fundatum sciuit in ueteri lege Deuter. 19. Si steterit testis mendax contra hominem accusans eum praeruaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Itaque nec susurriones, nec detractores quis bonus Princeps audiat, si a sacrilega suspicione aestimari uelit immunis. Verba enim susurronum penetrant ad intima cordis. Prouerb. 26. Primum omnium tales aduersus Ecclesiarum pastores, ut bona eorum auferantur, instanter insistant. De Magno Rege & S. Brynolpho supra lib. 15. cap. 19. De Suantone principe supra lib. 9. cap. 21. pag. 363.

De periculosa uexatione parentum, & exemplo resipiscendi.

C A P. XXX.

Forsitan opportunè superioribus capitulis declarantibus, quam impium sit uiolare patres spirituales, non nihil eisdem superaddetur, quam inhumanum etiam sit, dissolutis moribus bonos molestare parentes, eosque uexare, quibus ipsa natura semper admonet obedire, quemadmodum in bestiis tigridum aspicitur, & ciconiarum: quae eiusdem naturae instinctu genitores suos nedum cibus senecta instantere fouent, sed excidentibus plumis à frigore tegunt. Affertur ideoque exemplum non incongruum hoc loco, quomodo ab huiusmodi naturali lege erratur, & rursus conditore naturae iuuante, reditur ad eam. Atque inter alia magis pium adest de Rege Franciae Dagoberto documentum: qui iram patris sui Lotharii Regis meritis, eo quod consiliarium eius casum, & de consensu dehonestauerat, Parisios ad Ecclesiam S. Dionysii confugit: & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit. Tandem patre mortuo, regimineque suscepto, ad ultimum correxit uitam, prout sequens eius publica confessio attestatur: qualem poenitentiam si oppressores Ecclesiarum tempore opportuno imitandò prospicerent, forsitan & ipsi, & stirps, ac plebs eorum in amoeniori quiete uiuerent, & securiori conscientia ultimo surgente fato hinc emigrarent, prout in sequenti capitulo declaratur.

Additio Olai Archiepiscopi, continens aliquot exempla Principum & Regum tam internorum quam externorum, iuste & pie uiuentium uel iniquorum uerè poenitentium.

Quamuis in hoc uolumine mixtim optimi & pessimi Principes, insigni diligentia, & fide annotati sunt, ut meritò de optimis, tanquam delicijs gentium diuino honori, atque omnium saluti & paci consulentibus, omnes exultare poterint, & rursus de pessimis uniuersos conturbantibus horrere & ingemiscere: tamen in hoc Dei misericordiae admiranda benignitas multifariè laudatur & colitur, quòd bonos, ne semper decendant, suauiter corroborat: & malos, ut poeniteant, patienter expectat: ne illico ob impietatem & scuitiam immensi sceleris (quasi uiolenti & importabiles) efficiendi deficient, sed sanis consilijs, imò diuinæ inspirationi incessanter ad ostium conscientiae pulsanti, libero corde obediant, & iusta, mansuetaque gubernatione sese, suaeque dominia seruent: neque si sua fragilitate prolapsi, uel alieno errore seducti ceciderint, ad pristinam impietatem resiliant, sed more peccantium humiliter poeniteant, quemadmodum malignius se deliquisse cognoscunt. Verum ne Principes Aquilonis tam externorum, quam internorum iuste uiuentium,

tium, uel Iniquorum fideliter poenitentium, exemplis careant, nonnullorum nomina, mores, & exitus, pro augenda bonorum gloria perpetua, & malorum delenda aeterna infamia, praesentibus apponentur.

Henricus Imperator eius nominis III. in primis annis largus, facundus, fortuitus, gloriosus, ingenio acutus: uerum suscepto imperio elatus, Deo & hominibus ingratus, uel religionis contemptor, schismatum suscitator. Quocirca Regia administratione priuatus est, & anathemate notatus. Demum poenituit, & absolutus, iterumque relapsus, in Gregorium arma mouit, & fugatur, ac per principes ab imperio deponitur, & a filio in praelio uictus, ac graui ludibrio habitus, dolore & captiuitate in Leodio moritur, & Spirae quinque annis inhumatus, ad ultimum a sententia excommunicationis absolutus sepelitur, anno imperij 48.

Henricus III. ob conuiuentiam libidinosa familiae, & turpissimos excessus, a ciuibus Rubetiaquensibus terribili facto tumultu, amissis Imperialibus insignijs, corona, uexillo, aquila, pomo, sceptro, lancea, ac alia opulentissima praeda, uix fuga elapsus, a Gregorio VII. sapius simulans poenitentiam excommunicatus & depositus miserrime obiit. De cuius summario malo, licet calamitosissimo, Albertus Crantzius lib. 5. cap. 17. admiranda dicit, & cap. 24.

Fridericus eius nominis primus, Barbarossa dictus, uir magnanimus, largus, strenuus, facundus, ac in omnibus gloriosus, Romano Pontifici, praesertim Alexandro III. plurimos aduersarios, uiros pessimos, opponens: ideoque excommunicatus, ac demum humi prostratus, inspiciente toto populo, ad gratiam restitutus est: & tandem pro expiatione suorum scelerum contra infideles pugnaturus, rapido flumine, quo astitum leuare uoluit, suffocatus interiit, anno Imperij 37.

Fridericus II. etsi gubernatione Innocentij III. enutritus, in lingua Latina, Vulgari, Graeca, Sardinica, & Gallica doctus euasit, tamen luxuriosus, perfidus & per iurus factus, ab Honorio ad emendam iterum atque iterum monitus, respiscere contempsit. Ab Innocentio III. excommunicatus, & depositus, subditos a iuramento fidelitatis absolutos inuenit, & principes autoritate Pontificis ad nouam procedere electionem. Tandemque ueneno spurij sui nothi extitit interemptus.

Ludouicus Bauarus Papam Ioannem grauibus iniurijs uexans, excommunicatus poenituit, ac doluit: & tandem a ducissa quadam in uenatione accepto ueneno interiit.

Guilhelmus Rex Siciliae ab Hadriano Papa III. depositus, poenitens in sua regna restituitur.

Nec omittendum est (autore Theodorito in Historia tripartita cap. 3. per D. Lipomannum modernum Episcopum Veronensem uniuersorum saluti insudantem, collecta) quomodo Theodosius Imperator per octo menses, ob offensionem Ecclesiae irrogatam, beato Ambrosio iubente exclusus fuit, & poenitentia facta Catholicae Ecclesiae cunctis congaudentibus misericorditer restitutus. Pax & benedictio super omnes imitatores eius in poenitentia salutari.

Rex Angliae Henricus eius nominis II. quia S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem Ecclesiastica iura defendentem in exilium detrusisset, occasioneque post eius restitutionem data, mortis eius causa fuisset, ad eam culpam eluendam, expiandamque, ducentos milites ad sacrum bellum contra infideles in Syriam suis sumptibus se missurum promisit, ac semet intra triennium eius expeditionis socium cum alijs principibus subsecuturum. Quinimo legem tulit, qua perpetuo cautum esse uoluit, neminem posterorum Regum in Anglia Regium nomen, insigniaque deinceps gesturum, nisi quem Romanus Pontifex rite iussisset, & designasset.

Ioannes Rex Angliae, quia crudelissimus tyrannus erat, totique regno importabilis, anno M. CC. VIII. ab Innocentio III. excommunicatus, aggrauatus, & reaggrauatus, ac subditi iuramento fidelitatis absoluti, ut ipse ab omni administratione esset eiectus, & Principes deputati forent executores: fucosam agendo poenitentiam,

tentiam, legato Papæ diadema tradidit, & demum reassumpsit: omnibus factus onerosissimus, ob inaudita flagitia, & intolerabilem caritiam inde excitatam inuisus, uitam miserrimè, ueneno eidem in poculo ceruiciæ propinato, cunctis collætantibus consummauit.

Richardus, quia filios fratris suæ fidei commissos, ut solus regnaret, occidi iussit, & ipse pœnitere contemnens, ab incolis est occisus.

Henricus VIII. quantam impietatem in religionem, & inhumanitatem in subditos, ac innocentissimam filiam, sapius oblatam à Pōtificibus pœnitentiam contemnens, etiam morti appropinquans exercuerit, satis fideliter ostendent Anglorum historici, quibus uerior fides, tanquam testibus oculatis, ueniet adhibenda.

Sueno Rex Daniæ LXXXVI. (teste Saxone lib. II.) quod Principes aliquot ad Regale conuiuium inuitatos, ob leuem detractionis suspicionem, in Ecclesia sanctæ Trinitatis, tanquam loco ad homicidium perpetrandum secretiore, orantes, missis sicarijs duplicato sacrilegio interemisset, cum ab Antistite sacra in festo Circumcisionis celebraturo, ne Ecclesiam ingrederetur, repulsus esset, conscientie rubore perustus, Regia ueste deposita obsoletam accepit, mœroremq; deformitate cultus, quàm splendore contumaciæ testari maluit, abiectisq; Regiæ maiestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit: quin etiam cum ueste potentiam exiit, atq; ex sacrilego tyranno fidus sacrorum uenerator euasit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regressus, in eius aditu se prostrauit, terræq; suppliciter osculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi solet, uerecundia ac moderatione compressit, &c. Tandem criminis confessione facta, religioni sese satisfacturum promittens, remissa execratione lachrymis absterlis, depositisq; doloris insignibus, Antistitis amplexu & uenia, in communionem Ecclesiæ (cui ob hoc amplissimas possessiones tribuit) est restitutus. Nec erubuit multorum auribus singularem flagitij sui committere notionem. Hincq; factum est, ut regni sacerdotijq; roboraretur concordia, quæ utriusq; statui, imò omnibus indigenis, pariter & alienigenis uita est profutura.

Tradit etiam idem autor Saxo lib. 14. duos Reges Daniæ sceptratos, Magnum scilicet, & Ericū, Regia ueste mutata, monachos factos fuisse cucullatos, eò quod abolendis piaculis pœnitentiæ religione nihil ualentius inquiritur, aut diligentius obseruari meretur.

Possent hic eiusdem Daniæ, aliorumq; uicinorum Regum Aquilonarium, Sueciæ, Gothiæ, & Noruegiæ, longè plura adduci exempla, quomodo Dei misericordis ope pœnitendo, & satisfaciendo, humanissimi, ac pijsimi facti sunt, dum ubique Ecclesias ad honorem Dei, & sanctorum eius bene dotatas à nouo construerent, uel desolatas magnificis impendijs repararent: sed breuitati consulendo, reseruantur in aliud uolumen Metropolis Vpsalensis eiusdem autoris D. Ioan. Magni Archiepiscopi supradicti. Interea tamen modernos Principes Aquilonares, imò et reliquos admonuisse sufficiat, ut porius pietatem, religionem, iustitiam, clementiam, magnanimitatem, liberalitatem, cæterasq; uirtutes optimo cuiq; Regi congruentes, pro consecutione æterni honoris, amplectantur, quàm sauitiam, crudelitatem, impietatem, ferociam, & similia portentosa uitia, dæmonibus, bestiis & apostatis inhærentia, pro despectione, increpatione, ac perpetua infamia sustinenda sequantur: memores sese homines fore, ut mansuetudine, & commiseratione ualeant assimilari Deo, cuius semper meminisse oportebit: qui etenim uti summus & potentissimus est, ita cuncta suauiter disponēs, ac omnia contēplans, uitæ, uel mortis æternæ pro bene, uel malè transactis operibus dat retributionem, nullo unquam fine, etiam si per innumeras annorum myriades redierit, carituras.

Quod si his, & similib. heroū exēplis, pijsimisque exhortationib. errantes, uel seducti Principes admissos excessus, offensa religione, & Christiana uariata lege, celerius emendare noluerint, distulerint, aut contempserint, saltem ne glorientur in peccatis

peccatis, & dicant, ut habetur Ecclesiast. 5. Est mihi sufficiens uita: quis me subiciet propter facta mea? Deus enim uindicans uindicabit. Neque dicat: Peccaui, quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens retributor. Ideo non tardes conuerti ad Dominum. Et ita de similibus aureis literis annotandum.

Insuper attendere dignentur prædicti principes, quam fideliter diuus Ambrosius inter alios sanctissimos Ecclesiæ doctores laborauerit pro salute omnium, maximè Imperatorum, Regum & Principum, ut ad Deum conuersi, gloriosa ad posteros emissæ memoria, gaudijs fruereutur sempiternis. Nouit enim uir Dei, spiritus sancto repletus, Regum conuersione facillimam omnium subiectarum gentium solere sequi reductionem, ueluti de Regibus à paganorum superstitione, uel postmodum ab hæreticorum uersutia liberatis, præsertim in Aquilone, ubi plurima extant gloriosissima exempla sempiterno æuo apud Deum & homines commendanda. Idemq; beatissimus autor Ambrosius in 17. capitulis Apologiæ S. David cunctis pœnitentibus saluberrimum iter ostendens, quam sanctè hortatur, ne disputemus otiosi de peccato David, cum eius anima ob commissum peccatum turbata est ualde, ut laboraret in gemitu, & singulis noctibus lauaret lectum suum, & lachrymis rigaret stratum suum. Demum subiungit: Vnusquisq; nostrum per singulas horas quam multa delinquit, & tamē unusquisq; de plebe peccatum suum confitendum non putat. Ille Rex tantus ac potens (nempe undecies centena millia armatorum educens) ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atq; immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facillè reperiēs honoratum ac diuitem, qui si aggrauatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat: at ille Regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato homine corripereur, quod grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpæ dolore, &c. Alij homines, cum à sacerdotibus corripiuntur, peccatū suum ingrauant, dum negare cupiunt, aut defendere: ibiq; eorum lapsus est maior, ubi speratur correctio. Beatus autē est, qui se potuerit reparare post lapsum. Præterea cap. 4. infertur: peccauit David, quod solent Reges, sed pœnitentiā gessit, fleuit, ingemuit, quod uix solent Reges: cōfessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, confessionis suæ testimonium in perpetua secula uulgato dolore transmisit: quod erubescunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri: qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui legibus imperabat: quod peccauit, humanum erat: quod supplicauit, correctionis lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaq; incidisse naturæ est, delesse uirtutis.

Quod autē David interpellati prophætæ Nathan de unica pauperis oue, quæ secū in sinu nutrita fuerat, & de calice eius biberat, per uicinum diuitē multis ouibus proprijs parcentem, pro cōuiuio uenienti peregrino exhibendo, rapta, ac deuorata foret, sententiā tulerit, quod raptor ille reus esset mortis, & quadrupli restitutione constrictus: & audito, ac ostenso, quod ipsemet Rex is diues, & raptor esset, in gemitum mox prorupit, ac ueniā continuis lachrymis, ieiunijs, orationibus, erumnis, & castigationibus proprii corporis, ac perturbationibus animi incessabili dolore à Domino postulauit, ac dixit: Tibi soli peccaui, qui me ad uirtutē prouocasti, legem dedisti, de manu Saul liberaasti, coronari iussisti, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti, & malum coram te feci &c. Auerte faciē tuam à peccatis meis &c. cum similibus sanctissimis obsecrationibus dignè pœnitētis peccatoris ex intimo corde ueniā, & gratiā supplicatis, ut cor mundū habeat, quo Deū uideat, & ne pñciatur à facie eius. Grāde enim suppliciu est pñci à facie Dei, ut Adā, qui se abscondit, & Cayn, qui putabat fallere Deum, ac Ananias, & Saphira S. sancto mentientes.

Igitur exemplo Regalis huius pœnitentiæ, Reges & Principes, humane imbecillitatis, ac stricti iudiciij Dei memores, attendāt, ne occasione peregrinorū dogmatū
amplius

amplius offendant altissimum, qui coli uult, & debet purissima, ac castissima religione, ut aucto diuino honore etiam eorum securitas, & magnificentia gloriosior exinde resultet, utq; fide, & bonis operibus conuersi, salubrioris doctrinae remedium suscipiant ingrediendi uias Domini rectas, in quibus erroris nullos anfractus, nulla diuertacula praecipitis lapsus offendant. Sicut enim bonae uitae uirtutis exemplar in uiris constantibus, quod inoffensa uitae suae tempora percurrerint, iusteq; & sancte uixerint, extollitur, ita eorum uita, qui perniciosi exemplis, ac uanis doctrinis illusi, seductiq; ac flagitijs irretiti fuerint, erroribus, & moribus emendandis apud Deum, & homines sempiterna memoria, & laude illustrior ostendetur.

De Giuthæ Reginae propter illicitum concubitus, necnon Suenonis Regis propter idolatriam & effusum innocentem cruorem, memorabili poenitentia. Ioan. Mag. lib. 18.

Ingo post fata Stenchilli in Regem Gothorum & Sueonum sublimatur, nulli optimorum Regum postponendus: quippe qui summopere contendebat omnes priores Reges, tam in rerum gerendarum magnitudine, quam in omnibus uirtutum officijs superare. Nec minus, quam intendebat, effecit. Erat enim in bellicis rebus incomparabiliter strenuus, nec minus in Christiana fide propaganda sollicitus: pluresq; clarissimarum uirtutum suarum exemplo, in magna morum honestate continuauit. Praeterea mores suos ad diuinas & humanas leges tanta seueritate castigauit, ut publico omnium Gothorum & Sueonum testimonio de eo affirmetur, ipsum nunquam contra leges patriae deliquisse. Nec pauci erant, quos illa eximia liberalitate, qua passim in omnes utebatur, in Christianis legibus conseruauit. At ubi nec exemplo, nec exhortatione, nec liberalitate, aut alijs beneuolentiae studijs se proficere posse speraret, tunc magno atq; excelso animo ad iustitiae rigorem conuersus effecit, ut quos Regia mansuetudo, et benignitas ad bona opera minimè reuocaret, illos iustitiae seueritas à morum prauitate, et malefaciendi licentia coërceret. Bella complura contra Valdemarum Ruthenorum Regem (quem sui larizlaum dixerunt) prosperè gessit. Schoningiæ quoq; multis bellis afflixit, Gothorumq; regno restituit. Sueno enim Vlphonis Suetici et Estritæ filius, Danorū Rex, quia saepe ab Haraldo Noruegiae Rege (ut asserit Saxo) subactus, ad bella contra Sueones minimè prodire audebat, sed honestiore ac securiore consilio usus, sororem, siue filiam Ingonis Giutham (non praemeditato cognationis uinculo) missis legatis in coniugem impetrauit, quæ ad Danos non solum pacem, sed eximia uirtutum exempla secum adduxit: quam Saxo Danicus adeo profusis laudibus prosequitur, ut maiores laudes in aliquam summæ sanctitatis foeminam uix cumulare potuisset. Hæc, inquit, a Suenonis mariti toro Pontificum censura ob consanguinitatis uinculum amota, paternos penates repetens, susceptis uiduitatis insignibus, cum summa morum sinceritate consenuit, castitatemq; uotis professâ, uirilīs concubitus experientiam abdicauit. Et quia iniusto se toro maculauerat, nullum sibi ulterius permittere decreuit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum, reliquum uitæ tempus cœlebs exegit, ingentiq; pudicitiae seueritate illiciti concubitus noxâ licentis euitatione pensauit. Sed nec inerti otio effluere passa, quotidiana consuetudine exquisita sacrariorum ornamenta fingebat, inq; eandem operam continuam ancillarum curam cogebat: inter quæ chlamydem sacerdotalem subtilibus sigillis excultam, pretiosaq; materiae impensa, ac mirifici operis arte elaboratam, Roschildensi sacrario doni nomine largita est. Alia quoq; cōplura diuini cultus insignia sacrorum usibus operata est. Haftenus Saxo. Ego autem cum pueritię annos agerem, atq; apud Vestrogothos bonis literis, & moribus operam dare, saepe in monasterium Guthem ab ipsa fundatum, atq; eius sepultura illustratum, ob loci sanctimoniam, diuertere consueui.

Nec parum cooperatus est ad optimos atque integerrimos huius Ingonis, cæterorumq; procerum mores, sanctissimus Pontifex Aeschillus, qui D. Sigfridum ex Anglia comitatus fuerat, aut postea Sigfrido in senium uergente aduenerat. Hic enim Aeschillus uicem ueri Christi Apostoli gerens, infatigabili animo Christianam fidem apud Gothos & Sueones usq; ad ultimum uitæ spiritum (quem per insigne martyrium Christo commendauit) prædicabat. Quocirca à Rege Ingone, & omnibus bonis in summa ueneratione habebatur, donec eodem Ingone in Schoningia occiso, nefarij homines prosperam sibi in diuina sciendi occasionem rediisse gauisi, totam religionis stirpem à radice euellere cogitarent.

Quendam

Quendam enim Suenonem cognomento Sanguinarium, in Regem eleuantes, uictimas & libamenta denuo' idolis offerebant, sanctumq; Pontificem Aeschillum, impijs eorum conatibus resistentem, lapidibus obruerunt. Sed hec in interregno perpetrata, confestim suffecto nouo & optimo Rege Halstano, suum finem acceperunt. Quod autem nonnulli putent, hunc Suenonem Sanguinarium fuisse eundem, qui erat Rex Danoru', ex Vlphone & Estrita genitus, non solum Sueonum, uerumetiam Danorum historijs repugnare uidetur. Sed oportuit aliquem alium fuisse, qui ad tam impiam blasphemiam se extolli pateretur. Ille enim Sueno Danicus, post amorem a se optimam Reginam Giutham, ad optimos mores (teste Saxone Danico) conuersus, ita in reliquum uitae tempus uiuit, ut nequaquam inter facrilegos, aut blasphemos tyrannos, sed inter felices & optimos quoscunq; Reges iure connumeretur. Ad quod (si caetera testimonia deessent) satis efficacem probationem asserere potest illa memorabilis & publica poenitentia, quam pro homicidio in ecclesia Roschildensi perpetrato sustinuit. Peccauit enim ut homo: at poenitentiam egit ut humilis Christi confessor. Secutus est Dauid, & Theodosium, pluresq; alios potentissimos Reges peccando: secutus est etiam eosdem pro peccatis poenitendo. Quamobrem non solum apud homines gloriam immortalem, uerumetiam apud Deum uitam meruit sempiternam. Nunc a diuerticulo ad Ingonem redeamus: qui (ut diximus) bellum in Schoningiam promouit, eamq; subigam occupauit, donec nocturnis insidijs (cum se satis securum putaret) trucidatus est. Quod cum Vestrogothis nuntiatum fuisset, mox facto ingenti agmine in Schoningiam irruentes, omnia eius loca flamma & ferro deuastabant, corpusq; optimi Regis non sine publico mœrore in Vestrogothiam reportantes, in monasterio Varnhem sepulture commendabant: quod tunc in honore diui Benedicti erectum, & consecratum fuisse putamus, cum diuus Bernardus nondum illius ordinis regulam restituisset.

*Quomodo item Egit 84. Rex externus & tyrannus sceleratissimus
resipuerit. Ioan. Mag. lib. 16.*

Egit deinde post mortem Eurigij, non solum quia gener eius erat, sed quia a Gothorum proceribus electus erat, ad defuncti loceri regnum magno Gothicæ Reipublicæ malo peruenit. Enimuero' adeo' transuersum animum ab omni iustitia & honestate habebat, ut eum in numero Regum conscribere recusarem, nisi lex historiae bonos & malos complecti iuberet. Siquidem illustrissimos proceres, quorum beneficio ad regni fastigium euectus est, infinito odio persecutus est. Plurimos namq; eorum diris supplicijs affectos occidit, plures proscripsit, pluresq; dignitatibus deiecit. Præterea' alios fortunis, alios prouentibus, alios possessionibus crudeliter spoliauit. Deniq; totius regni populum insolitis tributis, intolerabilibus oneribus, iniquissimis exactionibus oppressit, & ut omnium diuitum bona in se, & suam insatiabilem fiscum transferret, literas, chirographa, instrumenta, quibus ipsi se debitores Regis fateri uidebantur, maligno animo confinxit. Nec in propriam coniugem (quamuis illusterrimam) humanior, quam in cæteros apparebat. Quippe ipsam omnium bonorum iudicio innocentem indignè a suo toro repudiauit. Verum inter tot enormia facinora hoc laude dignum egit, quod cooperator fuerit, ut tria concilia Toletana pro augenda, & cõseruanda fide Christiana conuocarentur: quæ non solum sua Regia auctoritate confirmauit, uerum etiam humi prostratus sese sacrosancti Concilij orationibus suppliciter commendauit. De morte huius Egitæ nulla in historijs memoria habetur, nisi quod nimis serò uitam & regnum morte permutauit.

*De pijsimo exemplo recompensationis domibus, & personis
Ecclesiasticis iustissime faciendæ.*

C A P. XXXI.

DAgobertus Magnus diuina clementia Rex Francorum. Omnibus regni sui primatibus, imò cunctis Christianis fidelibus presentibus & futuris. Notum facimus, quod patre meo Lothario defuncto, paterni regni curam suscepi: sed iuuenili ductus leuitate deceptus, Regalis officij debitum neglexi: & maxime inter alios excessus meos, Ecclesiarum Dei destructor, & dissipator esse cœperam, nec diuinæ maiestatis oculos, nec hominum ueritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatae mentis superbiam conterens, uirga correctionis iniquitates

meas correxit, & mihi castigato ueniam non negauit &c. Quasi autem modum pœnitentiæ imponens, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum sanctorum, quos magis offenderam, domum diuinis aptam seruitijs construerem &c. Igitur sub certa spe remissionis peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio uotum, quod fecimus, Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis, & sanctæ Mariæ construximus: quam sublimare, & Regali munificentia ditare decreuimus &c. Datum in monasterio Visfemburgensi mense Maio, anno regni eius 23. & anno Domini DC. XXIII. Quod monasterium ordinis est diui Benedicti, 8. miliaribus ab Argentina secundum Rheni cursum distans. Refert præterea Sigebertus in morte huius Dagoberti, de quo per uisionem cuidam reuelatum est, quod anima eius ad iudicium rapta sit, & multis Sanctis contra eam pro expoliatione suarum Ecclesiarum reclamantibus, cum eam iam mali angeli uellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti Martyris Parisiensis Dionysii, cui ipse maximè deuotus fuerat, à pœnis liberata est. Huius etiam filius Sigebertus à sancto Amando baptizatus, cunctis tunc tacentibus, infans 40. dierum, respondit Amen.

Exempla aliquot piorum Regum, quibus summa Ecclesia Christi curæ fuit, eamq; suo patrocinio fouerunt: iuxta etiam plura de Dagoberto, cuius hic fit mentio.

Ioan. Mag. lib. 16.

Sisebutus deinde, sublato per mortem Gunnaro, siue Gundemaro, ad Gothorum regnum concordî procerum electione circa annum à Christo nato DC. XII. feliciter peruenit. Huius præclara facinora, & Regios mores considerans, nequeo mihi ab insigni dolore temperare, quod in hoc nostro infelici seculo à talibus Regibus & Principibus nimium distare uideamur. Ille non dixit, Volo in primis curare regnum meum, & meum solum bene confirmare, deinde me ad restituendam collapsam Christi religionem conuertam. Sed primum omnium curauit, ut diuinæ maiestati debitus honor à cuncto populo sibi subiecto integre seruaretur: nihilq; omisit, quod ad augendam, conseruandamq; Christi fidem necessarium uidebatur: tantusq; erat in eo eiusdem sanctissimæ fidei zelus, ut ad eius piam exhortationem nonaginta Iudæorum millia suscepto baptismi sacramento ad Christum conuerterentur. Magnus profecto numerus, & dignissimus, qui laudem Gothico Regi conciliet immortalē: estq; ob id in sacris Decretalibus, præsertim in titulo De baptismo & eius effectu religiosissimus Princeps appellatus. Præterea omnes hæreses & errores, quibus Christianæ fidei sinceritas uiolari, uel labefactari poterat, antequam altiores radices firmarent, auctoritate & ratione extinxit. Siquidem orta per eam tempestatem hæresi Acephalorum, mox sanctissimum Archiepiscopum Hispalensem Isidorum in diuina lege eruditissimum rogauit, ut conuocato Pontificum, & prælatorum concilio, suborientes hæreses iuxta regulam à sanctis patribus institutam examinaret, & condemnaret. Aderat quoq; in eodem concilio Rex Sisebutus, in diuinis & humanis literis instructissimus, qui cū summa eruditione summam clementiam coniungens, omnibus hæreticis, qui tunc apertis rationibus ab Isidoro conuicti fuerant, & ad cor redierant, pepercit. Et cum tantus esset erga diuinæ maiestatis honorem ampliandum, omnia illi pro uoto in temporali regno successerunt. Sæpe enim bella in Romanos promouit, & semper gloriosam uictoriam reportauit, recuperatis ab eorum imperio terris, uillis, oppidis, castellis, quæ Romani præsides Narbonensem prouinciā administrantes sibi subiugarant. Præterea non minus feliciter in Africanos, quam in Romanos dimicauit. Deinde hic optimus Rex post tot præclara facinora, totq; admirandæ uirtutis opera, quæ pro augmento diuini cultus, & subiecti populi salute perfecerat, non sine publico luctu in fata concessit, memoriamq; de se ad posteros transmisit gloriosam, & immortalē. Hic est enim, qui Hispanos à Romano imperio ita liberauit, ut nunquam amplius Romanis subiecti fuerint, teste Matthæo Balimerio in supplementis Eusebii & Hieronymi.

Ricardus quamuis pueriles annos uix egressus esset, tamen ob egregia patris sui Sisebuti merita in paternum regnum communi procerum consensu surrogatur. Persuasum quippe omnibus erat, ut filius optimo patre genitus, nihil à paternis uirtutibus degeneraturus esset. Sed is celerè & præmatura morte correptus, amplissimum regnum, quod uix toto seme-

Gg stri re-

qui rexerat, paruo tumulo commutauit, suoque fato satis ostendit, momentaneum caducumque esse omne mortalium imperium, pro quo plerique nimis infelicitate digladiantur.

Cintila, cum satis absumptus esset Ricardus, a Gothorum proceribus Rex declaratur. Erant enim tanta eius merita erga Gothicam Rempublicam, ut nulli iustius, aut utilius Regia maiestas tunc deferri potuisset. Enimvero sub Sisebuto optimo & potentissimo Rege, dux exercituum constitutus, multum strenue & potenter se in re militari gesserat: nec posteaquam Rex factus erat, quicquam in armorum exercitio remissius egit. Quamobrem non minori hostibus terrori, quam ciuibus amori fuit: in hos enim benignissimus pater, in illos terribile fulmen apparuit. Romanos saepius quam felicius Hispanias impugnantes ita repressit, & prostrauit, ut relictis omnibus ciuitatibus & terris, quas uel olim, uel nuper post Sisebuti mortem occupauerant, in Italiam trepidi remearent, nec unquam postea subiugandis Hispanijs animum adhiberent. Itaque Cintila primus Gothorum Regum sua singulari uirtute, & prudentia totam Hispaniarum monarchiam integre libertati reuerentiam, ad suum principatum felici uictoria perduxit. Deinde Vascones in uicinas terras irrupere ausos, non solum forti manu repressit, uerumetiam subiugatos coegit, ut suis sumptibus & laboribus ciuitatem Olitensem edificarent. Demum toto Republicae statu domi & foris optime instituto, Toleti extremum uitae suae diem absoluit, tanto omnium subditorum luctu, quantus uix possit in funere unici, atque optimi parentis impendi.

Sisenandus post mortem patris Cintilae, non expectato procerum consensu, regnum per tyrannidem inuasit, excluso & occiso primogenito fratre Cintila, ad quem regnum iuste deferendum fuisset. Adiuuit huius Sisenandi temeritatem Rex Francorum Dagobertus, qui interim dum Gothi ob domesticum & fraternum odium periclitarentur, Vasconiam ab eorum regno auulsam regno Franciae adiecit, fratremque suum Arebertum ea provincia donauit. Post cuius mortem cum se Vascones in libertatem uindicare, & ad Gothorum regnum redire conarentur, magno Dagoberti praelio superati, ad durius Francorum iugum redire compelluntur. Vnde satis apparet, illum Francorum Regem sub ea domestica Gothorum discordia potentem, formidabilemque euasisse. Sisenandus autem regnum, quod fraterna caede occupauerat, paruo tempore, & minore utilitate administrans, nullam suorum gestorum memoriam ad posteros transmisit, nisi quod ad melioris conscientiae usum reuersus, quartum Concilium Toletanum celebrari procurauit, in quo multa ad diuinam maiestatis gloriam, atque augmentum, & conseruationem sanctissimae fidei Christianae constituta fuerunt, praesidente in eo sanctissimo Eugenio, postea Archiepiscopo Toletano, qui totam ecclesiam Occidentalium regnorum sua sanctimonia, & sacrarum literarum eruditione plurimum illustrauit. Deinde Sisenandus paulo post concilium Toletanum graui corporis aegritudine Toleti correptus occubuit.

Cintila post Sisenandi fata concordibus Gothorum suffragiis regio sceptro insignitus, temporum suorum tranquillitatem diuino beneficio concessam, ita ad honorem Dei, & subiecti populi salutem ordinare curauit, ut non ab hominibus, sed a Deo electus, & datus crederetur. Cum enim in tempore regni eius non deessent, qui haereses suscitare, & errores in Christiana fide serere non uererentur, priorumque conciliorum acta palam in dubium reuocarent, piam ac summe necessariam operam adhibuit, ut iterum duo concilia Toletana celebrarentur: in quibus omnes priorum conciliorum constitutiones confirmatae, multaque de nouo additae fuerunt: quas sanctissimus pontifex Hispalensis Isidorus, qui in illis concilijs praesedit, non solum sua Pontificia autoritate, sed insigni ac pia eruditione, qua praeditus erat, confirmauit, atque ut ab omnibus pie & efficaciter obseruarentur effecit: quod ei tunc haud difficile fuit, quando ille Rex in regno praesidebat, qui se hominem mortalem, non Deum immortalem more tyrannorum existimabat: qualis hic optimus Cintila erat, qui post temporalis regni administrationem gloriosa morte sublatus, gloriam meruit immortalem.

Tulgas mortuo patre Cintila, nullo procerum suffragio dissentiente, Rex Gothorum designatur, talemque se in omnibus uirtutum officijs ostendit, ut illam eximia probitatis opinionem, quam de eo omnes conceperant, non inanem fuisse monstraret. Erat enim summa modestia praeditus, liberalitate insignis, iustitia & clementia conspicuus, praeterea religione, fide, pietate, uitaque integritate nulli secundus. Proinde cum erga omnes se benignissimum exhiberet, ab omnibus non ut dominus, aut Rex timebatur, sed ut unicus omnium pater amabatur, & colebatur. Quicquid Pontifices, aut Reges ante eum pro felici Ecclesiae statu, & Christianae religionis incremento, ac publica regni utilitate constituerant, confirmauit, auctoritatemque suam contra quosuis Ecclesiae inuasores adhibuit, omniaque alia

alia optimi Regis officia prestitit, quibus toti populo persuasum erat, ipsum fore Regem bonum & optimis quibusque Principibus comparandam. Sed crudelia illa fata, quæ prosperis mortalium successibus inuident, hunc optimum Regem præmatura morte in urbe Tolernana, uix expleto biennio à suscepti regiminis cura sustulerunt: cuius mortem subiecti populi adeo dolenter tulerunt, ut uix ullam admitterent consolationem.

De necessaria extirpatione errorum, &
falsarum doctrinarum

C A P. XXXII.

NEc minus pœnitendum erit, præsertim Principibus Aquilonarium regionum, quod contempta maiorum pacifica doctrina, ac pijsimis moribus, admiserint errorum magistros, auribus seruiētes: qui propriæ prudentiæ ita ardentem inherant, & assentiunt, ut nulla scripturæ ueritas, aut ratio, æstimari, recipi, aut pro dogmate legenda tradī possit, uel debeat, nisi eam approbauerint sacrilegi nouatores: quorum tamen ita discors opinio est, ut ne in una quidem ciuitate, domo, uel camerula idem sentire possint. Cuius erroris causa est ignorantia, uel deprauatio scripturarum, ac odium, quo feruntur in sapientes, ueram religionem cum doctrina conformiter, & ubique profitentes: eò quod nulla religio (teste Lactantio) sine sapientia suscipienda, nec ulla sine religione probanda sapientia. Et ita summi uiri ueritatem attigerunt, & bene tenuerunt, ubi aliqui per infucatam eius interpretationem falsa opinione illusi, retrorsum abierunt, & demum in profundum errorem descendentes, & agnitam ueritatem impugnantes, omnem Christi fidelium unitatem ad summam discordiam (in qua quotidie suspirant oppressi) attraxerunt: quasi uerum prouerbiū non esset, *Vnus ædificans, alius destruens, minimè prosperabitur.* Respiciant ergo cordati Principes, magnanimitque Duces, quàm confusissimum sit, & ludibriosum, si ductores exercitus, alteri quàm proprio uictoriam fauendo Principi, sunt discordes: & ut apertius prospiciant casum diligenter considerent, si in uno exercitu tot fuerint duces, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ: primum nec iussu poterit acies (unoquoque periculum recusante) faciliter dirigi, neque quod suis proprijs consilijs utantur omnes, discretius temperari. Diuersitas enim affectuum parit inuitabilem perditionem. Auferantur ergo impiorum dogmata, & cessabunt iurgia: extirpentur mores, & uiolentiæ hæreticorum nequissimæ, & ubique instar aureæ ætatis pax erit, & concordia dulcis.

De optimo remedio discordias, hæreses, schismata, ac reli-
quos detestabiles abusus abrogandi.

C A P. XXXIII.

QUemadmodum annis superioribus nonnullis Sacræ theologiæ professoribus, more seditiosorum studentium, posthabita ratione legum, & Canonum, nec non Christianæ tranquillitatis & dilectionis de rebus fidei coram laicis pulchrum uidebatur disputando opiniones & dogmata sua defendere & tueri: & insuper errores inducere, atque ui & metu miseram plebem obruere, & ad suas ineptias compellere, coramque simplici populo omnia sua uera esse, & seruanda præscribere: ita & optimum, ac necessarium reducendæ securitatis erit remedium, ut autoritate Regum & Principum, quæuis errata iuxta laudabilem ueteris Ecclesiæ ritum, arbitrio & integritate bonorum hominum, quoad fieri poterit, obliterentur, & diligenter præcaueantur, ne amplius tam perniciosæ & illicitæ disputationes, toti populo incessanter nocituræ, Principum constitutione permittantur, scilicet ut nemo siue clericus, siue laicus, publicè uel priuatim (ut sanè D.

Gg 2 Brunus

Brunus ultimo cap. 6. lib. de hæreticis pro publico bono suadet) de fide Catholica propria autoritate disputer, & ea, quæ à sacris Concilijs semel diffinita sunt, denuò in dubium reuocet: ne nouæ nascantur hæreses, aut semel extinctæ, in grauius Ecclesiæ damnum reuocentur. Decet enim salubriter decreta, stabili firmitate perpetuò fore permanfura. Non enim omnium est (teste Gregorio Nazianzeno) publice, & semper de Deo contendere, disputare, uel exquirere naturam: nec ita uilis est sacræ scripturæ sermo, ut uulgo indocili, & homunculis reprobis adhuc pateat imò nec semper, nec omnia, nec omnibus, nec ab omnibus sunt proferenda. Sed est & quando, & quibus, & in quantum, & eorum, qui ingenium, atq; industriam sumpserant in disciplinis speculatiuis, atq; eorum, qui norunt, amotis corporalibus, incorporalia & spiritalia conspici. Sed ante omnia illorum est, qui & anima, & corpore iam purgati sunt, ut minimum qui certè purgantur. Qui uerò minus purus est, quomodo audet purum contingere? &c. Hæc autem post illa quoq; proferenda sunt, in quibus delectati sunt, cantica, post uentris, & eorum, quæ sub uentre sunt, curam: à quibus etiam hoc delectationis loco ducitur, si de rebus diuinis contentio moueatur, ut in controuersiarum certamine delectentur. Virtus præterea & capacitas est in auditore attendenda, quia diuina mysteria non nisi à puris, & per puros sunt tractanda, qui sceleribus & sacrilegijs non fuerint inquinati.

De temerarijs disputatoribus prohibendis.

C A P. XXXIII

LEges igitur, quæ disputationes & tractatus, tam publicos quàm priuatos, de Deo & fide Catholica prohibent, non examinationem, & doctrinam scripturarum interdicunt, sed eorum tantum temeritatem coercunt, qui non uerentur propria autoritate de dogmatibus fidei disputare: imò noua, & falsa dogmata pro ueris asserere, & aliorum animis instillare, & quæ semel rectè diffinita sunt, in dubium reuocare, condemnare, & retractare, quali ipsi soli sint Apostoli, soli prophætæ, soli magistri: non solum errantes ipsi, sed multos etiam alios in barathrum errorum suorum præcipitantes. Ac talem quidem disputatorem ita alloquitur prædictus Nazianzenus, referente eodem Bruno: Esto tu excelsus, et excelsorum superior, & supra nubes ascende, si libet, & inuisibilia conspici, & ineffabilia sermone complectere: supra Heliam assumere, & supra Moysen facie ad faciem uide, si potueris, Deum: supra Paulum quoq; ad tertij cœli eleuare fastigia: cur & alios sub diuina plasmare? cur Theologos sub momento temporis facis: qui de diuina natura disserant, cum suæ sint uitæ adhuc penitus ignari, ut putes eos uelut inspiratam à te magis, quàm elucubratam suscepisse doctrinam, & imperitorum uerbis quàm plurimos agis conuentus: ut quid araneis colligas infirmos, & contrahis, uelut sapientiæ eis aliquid largiturus: ut quid examen uespærum aduersus fidem concitas: ut quid dialectica religionem decorare se credit, ubi magis per dialecticam religio fœdatur: quasi gigantomachia aduersus Deum pugnatur in terra &c. Optima ergo lex Platonis est, ne quis iuuenum quærere audeat, rectè ne contra, se leges habeant: sed uno omnium ore, unaq; uoce rectè, tanquàm à dijs compositas, concedi præcipiat, nec ullo modo aliter pati quicquàm à iuuenibus cogitari. Senem autem, si quid excogitarit, principibus, nemine iuuenum audiente referre. Hanc legem Platonis Eusebius lib. 12. Præparationis Euangelicæ, & Marsilius Ficinus in lib. De religione Christiana probat, adolescentes non temere de religione iudicare debere. Nam & secundum Augus. de legibus temporalibus. cum fuerint instituta & firmata, iudici iudicare non licebit, sed secundum eas.

De for.

De forti constantia tempore hæresum, ac
schismatum obseruanda.

C A P. XXXV.

Persecutionem, & exilium 33. annis propter fidem sustinens, semper nota ueram admirabilem Dei clementiam sperantibus in se misericorditer astuisse, & ita cum tentatione dedisse prouentum, ut nullius hominis læsa fuerit constantia, qui firmo proposito, & opere perstiterat in sua suscepta, & iurata sanctissima religione. In quo tamen tentamine maiorem constantiam in sexu fragili, monialium scilicet, uideram, partimq; à fide dignis seruari perceperam, quam in professis religiosis, aut sacerdotibus ordinatis: qui ad omnem uenti motum nulla facta resistentia, post seculum & carnis desideria abeuntes, turpiter defecerant: & hi respersi luxurie luto, secum quoscunq; male persuasos detraxerant in perditionem, maxime quia Satanam prauenerunt in tentatione, periculis sese ultro exponentes, dum fragiles ipsæ personæ constantissimè seruando regulam, steterunt aduersus omnes impugnatores. Cuius rei unum aut alterum è multis sufficiat adduxisse exemplum, præsertim in Imperiali ciuitate Lubicensi Germaniæ inferioris ostensum: ubi circa annū Domini M.D.XXV. moniales S. Annæ magno numero effossa humo noctis tempore, lignis & lateribus ianuas, & muros repararunt: quos (nescio qua potestate conniuen- te) impune de die perfregerunt. Item in Rostochio, ne per similes homines extrahi possent castissimæ uirgines à monasterio, brachiorum manuumq; complexu more fornicarum, immobiles sese reddiderunt. Item moniales S. Birgittæ in Suetia ad nobilium nuptias incessanter stimulatæ, mortem potius eligentes, quam castitatem Deo consecratam contaminare, ullo modo consentirent. Ita & aliæ personæ similes pluribus in locis constantissimè perseuerant, ubi plures uiri turpissimè sunt collapsi: quia ut tempori se conforment, furem uidentes, currunt cum eo, atq; cum adulteris ponunt portionem suam: donec Deus iam tacens arguat eos, & statuatur pœnas contra faciem eorum: ut & hi, & alij hæc intelligant, qui obliuiscuntur Deum.

De eodem, quòd in opinionem hæreticorum
non est descendendum,

C A P. XXXVI.

Blanda admodum, & nimium perniciofa licentia multos hoc infelici uo decipit, ut tempori se conformantes, remissiusq; agentes, non ita austerè uiuant, nec regulas obseruent, uti olim à patribus fuerat institutum: quia iam subtilior, inquiunt, est mundus, & grauiora tentamina fragilibus offeruntur: & ita de similibus argumentis serpentina scholæ in paradiso instituta: quasi securiores forent in omni optata prosperitate, quam in tentatione, & flagellatione iustorum in qua perficitur uirtus: uel quasi pacem ampliorem consequantur in Republica, quando remissiori deuotione seruiunt in Ecclesia: prout præfectus Valentis blandè monere conatus est Magnum Basilium, ut tempori pareret, & non tot Ecclesias propter prauam dogmatum subtilitatem uexari pateretur &c. Cui respondit: Adolescentibus, inquit, hæc uerba congruunt: illi, & illorum similes, talia promissa respiciunt. Qui autem diuinis innutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus, nec unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his (si contingat) etiam omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam autem Imperatoris magnam quidem cum pietate iudico: sine qua perniciem potius hanc appello. Cumq; præfectus sauiet in eum, stultumq; uocaret, S. Basilium ait: Hanc quidem stultitiam semper habere exopto. Præterea Gelasij Papæ doctrina est, quòd in his, quæ ad fidem

Gg 3 pertinent

pertinent, requisiti, aut rogati, ut impiorum uoluntati condescendamus. non ad inferiora descendendo deficiamus: ac propterea non condescendendū his, qui ex superiori loco à Catholica & Apostolica cōmunionē, ad inferiora quēq; & ad hereticam, damnatamq; confusionem prolapsi sunt. Fateor condescendendum esse sed ita, ut ab errore reuocentur ipsi, non ut nos eorum errori communicemus. Descendit Dominus de cœlo, ut hominem ab errore liberaret, non ut eius misceretur errori. Sed & ipse pramonuit, ut qui in te cōto consisterent, non descenderent, nec ad ea, quæ in domo uidentur esse tollenda. Rursus Apostolus, qui abundantius omnibus laborauit, cum de ueritatis custodia ageretur, clamat: Quibus nec ad horam celsimus subiectionis gratia, ut ueritas Euangelij permaneret apud uos. Qui ergo hæreticis ita condescendunt, ut eorum erroribus consentiant, hi non condescendunt ad subueniendum, sed ut cum ipsis ad inferna demergantur. Quo pacto nullus Catholicus hæreticis condescendere debet, sed mortem etiam prius pati, nedum corporis, bonorumq; periculum subire: quàm paternæ traditionis fidem ab omni præuaricatorum contagione discretam abroget, atque relinquat.

De Principum funeribus, sepulturis,
& testamentis.

C A P. XXXVII.



TAndem omnibus huius uitæ cursibus diuerso uiuendi genere consummatis, restat uidere nouissimum spectaculum, quod in Septentrionalibus terris erga Principum, ac nobilium funera, tam uulgo quàm recenti tempore solitum est obseruari. Mos antiquorum erat, cadauera Principum in frondosis arboribus, præsertim quercinīs, tanquam sacris locis numinibus consecratis, suspendere, aut flammis iuniperini ligni comburere, uel certis monticulis granibus axis, uel quadrato, uel rotundo ordine circumseptis, humi cum gladio & claua recludere, quemadmodum in primo huius operis libro de superstitioso paganorum sepulturæ ritu, deprehenditur usitatum: prout etiam Saxo lib. 8. de uictio, & mortuo Danorū Rege Haraldo meminit cui uictor Rex Sue-tiæ Ringo fastuosissimum adhibuit funeris cultum. Hæc enim pietatis conditio est, ut uictum uictor inferiis prosequatur: & qui defuncto hosti (teste eodem Saxo ne lib. 3.) iusta persoluerit, superstitis sibi fauorem adsciscit: uiuumq; beneficio uincit, quisquis extincto studium humanitatis impendit. Longe tamen (Christiana religione suscepta) meliori modo uitæ, ac morti, & famæ, ac soboli nunc prospiciunt, quam ullo transacto æuo, hac potissimum ratione, ut quæ ad animæ salutem domus incolumitatem, subditorum pacem, & debitorum solutionem pertinent, mature disponant. Sed prius Ecclesijs stabilia bona contribuunt, unde eorum, hæredumq; memoria ad honorem Dei habeatur in æterna commemoratione. Sed heu dolor hac infelici tempestate prædia diuinis obsequijs multimoda uotorum, literarum, iuramentorum, ac sigillorum firmitate exhibita, ac immemorabili æuo pacificè possessa, infami uiolentia rapiuntur ad humanos abusus, & Deo, cui tradita sunt, subtrahuntur, ut illis inseruiant. Ideoq; sacrilegi sunt, qui opes suas, quas uel ipsi, uel maiores eorum semel Ecclesijs donauerunt, reuocant. Nam omne, quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, uel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum.

erdotum. Ergo qui à domino, & Ecclesia auferunt, uastant, inuadunt, uel eripiunt, ut sacrilegi iudicantur: de quibus etiam Ambrosius c. sunt qui 17. q. 4. Talea Varense Concilium necatores egentium, & infideles appellat, ac ab Ecclesijs abijciendos suadet. Ita & Concilium Agathense omnes condemnat, qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donauerint Ecclesijs, uel monasterijs, crediderint auferendum, uelut necatores pauperum, quousq; reddant, ab Ecclesijs excludantur. Sed omnium pessimi sacrilegi sunt, qui res immobiles Catholicorum principum liberalitate sacrosanctis Ecclesijs collatas, ab iisdem auferunt: grauiusq; censebitur, si in hæreticos, et schismaticos transferantur: idq; sacrilegij genus iure Canonum excommunicatione, infamia, carcere, exilio, & multa pecuniaria coërcetur. De Haraldo & Ringone supra lib. 5. cap. 8. 157.

De eodem.

CAP. XXXVIII.

OMnes Ecclesiæ raptores, eiusdemq; facultatum alienatores, à limine sanctæ matris Ecclesiæ anathematizantur, & Apostolica autoritate pelluntur, damnantur, atq; sacrilegi esse iudicantur. Item si quis oblata Deo dederit, alteri, uel acceperit (ut c. in canonibus 16. q. 1.) præter Episcopi, uel eius Vicarij consensum, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit. Item qui res Ecclesiæ, iussu & largitione Principum, uel quorundam potentum, aut quadam inuasionem, uel tyrannica potestate tenuerint, & filijs, uel heredibus suis (uti iam factum uidetur) quasi hæreditarias reliquerint, nisi citò res Dei admoniti ab Episcopo, agnita ueritate reddiderint perpetuo anathemate feriantur. Item ualde iniquum est, ut quæcunq; pro remedio peccatorum, uel salute, ac requie animarum suarum unusquisq; uenerabili Ecclesiæ reliquerit, à Christianis, & Deum timentibus hominibus in aliud transferri, uel conuerti permittatur &c. Urbanus Papa sacrilegos perpetua infamia, aut carcere, aut exilio perpetuæ deportationis damnat. Pecunia Ecclesiastica furto, & rapina subtrahita, reddatur in quadruplum iure Canonum. Item si qui monasteria, & loca Deo dedicata infringunt, & deposita, uel alia exinde abstrahunt, damnum nouies componant, & immunitatem tripliciter, & ueluti sacrilegi canonicè subiugentur. De iure civili, qui publica sacra compilauerint, capite puniuntur. l. sacrilegi ff. ad l. lul. pecul. Præterea qui ueteres, aut autoritate sanctæ Ecclesiæ, aut Catholicorum Principum, pro temporum, locorum, & personarum ratione abrogatas leges rursus propria temeritate reuocant, & pro legibus citant, tanquam qui nullo autore habito, falsis constitutionibus utuntur, ueluti falsarij puniuntur, quorum poena olim erat, aquæ & ignis interdictio: hodie uerò deportatio. Et si seruus sit, qui admisit, ultimum supplicium.

De falsis interpretationibus legum,
& scripturarum.

CAP. XXXIX.

EAdem etiam poena tenentur, qui falsis interpretationibus leges dolo malo corrumpunt: cuiusmodi sunt, qui sacram scripturam Veteris & Noui testamenti, sacros Canones, & sanctorum Patrum scripta, de una lingua in aliam falso transtulerunt, uel his ipsis aliquid addunt, aut detrahunt. Si enim falsi poena tenentur, qui edicta publicè proposita dolo malo corrumpunt, quanto grauius puniendi sunt: qui diuina mandata Spiritu sancto autore scripta, atq; omnibus fidelibus proposita, sacrilega mente deprauant, atq; corrumpunt. Sic & qui

Gg 4 uerba

uerba sacrarum scripturarum, & legum captant, & secundum propriam ingenij uirtutem, uel intelligentiam ea legentes, uel docentes, in alium sensum, quam spiritus ueritatis exoptat, detorquent (siquidem id dolo faciunt) ut hæretici, & rei criminis falsi plectuntur. Ita Gregorius VII. Vladislao Bohemorum Duci scripsit, ac prohibuit, ne (ut optauit) scriptura sacra uerteretur in linguam uulgarem: quoniam tam secreta maiestas est in ea, ut difficulter translata, sensus secretorum Dei poterit in ea postmodum deprehendi: imò nunquam deuotior fieret populus, quando sciens facilitatem in contemptum uerteret, quod in reuerentia consueuerat admirari, & iam in ceruisiaria taberna irrisorie decantatur. Qui autem legum latrores, & earum iustos interpretes, aut alios quoscunque Catholicos calumniantur, pro diuersitate criminum puniuntur: & qui innocentes accusat, eadem poena plectatur, qua intendebat calumniosam actionem, ne mentiendi licentia permaneat impunita: quam poenam dum principes, Aquilonares præcipue (quos uellem hæc omnia sanè intelligere, & celerius auertere) secundum municipalia sua iura prouidentius attenderent, pauciores essent Reipublicæ, & eorundem principum hostes, qui incessanter indigenas turbarent, Ecclesias destruerent, clerum spoliarent, & Regi mouerent contumeliosissimam rebellionem. Res enim secularium Principum semper in deterius lapsura cernitur, quando quod Deo dedicatum est, uel ipsi spoliant, uel qui conniuendo ubi possunt, & tenentur, raptores non puniunt, donec & ipsis Principibus iusto Dei iudicio truculentior iniuria inferatur, & præsertim fingentibus se nescire, quod crudeliter exequendum dederant in mandatis.

Adhuc de incomparabili astutia, & malitia
sacrilegorum.

C A P. XL.

SED neque tales Herodianæ uulpeculæ, aut Pharaonis macri boues, omnia pingua & uirentia deuorantes, & nullum saturitatis uestigium relinquentes, sine poena euadent. Dicit enim scriptura, quod Spiritus sanctus effugiet fictum. Imò terribilius adiicit: Væ duplici corde, & labijs sceleratis, manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus uijs, quæ oblique euntibus uidentur rectæ, sed celerius & periculosius gradientem, perducunt in laqueum, & perditionem. Vouent, & reddunt Ecclesiæ bona, sed limulato corde: ut ficta aliqua ratione ea repetant ad profanos usus, & hæreditate possideant, ac distribuunt in generationes. Quam autem grande malum hoc sit, semel Deo, quod uouerit, aut retinere, aut repetere, uel mortifera præuaricatione usurpare, exemplo sunt Ananias & Sapphira: quos de pretio agri quandam partem infideliter subtrahentes, non solum uox Apostolica, tanquam diuini iuris persuasores increpuit: sed etiam seueritas iustitiæ coelestis occidit. Beatus denique Petrus non solum fraudis uicio memoratum Ananiam dixit obnoxium, quin etiam cor eius à Satana pronuntiavit impletum, dicens: Anania cur impleuit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, ut fraudares de pretio agri? nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate? Qui utique fecisti hoc, non hominibus mentitus es, sed Deo. Si quis igitur rem Domino iam deuotam, carnali uictus illecebra, crediderit denuò reposcendam, non est legitimus rei suæ possessor, sed diuini iuris inuasor: & ideò qui furabatur, amplius non furetur: ne pro tantillula substantia (arguente, & prædicente conscientia) irreuocabilem infamiam, & detestabile nomen (quod Gothico uulgari Kirkietius dicitur) incurrant, & demum apud inferos horrorem, & cruciatum: quem utique etiam tam sceleratorum Principum filij, sacrilegam impietatem detestantes, & omnia probissimè agentes, euadere potuerint: tamen offensæ diuinitati, & læsæ Ecclesiæ

Ecclesię necessario erit satisfaciendum: ut rebus, & personis iuxta ueterem religiōnis integritatem, legitimē restitutis, in se, & sobole secutura sint securiores: alioquin paterna rapacitas redundat in filios filiorum. Habet & Plato in prima epistola contra tyrannum hoc carmen: Heu miser hic perij, nullis suffultus amicis.

De dignis personis Ecclesię restituendis, &
indignis repellendis.

C A P. XLI.

Quod autem de personis dignis, & honestis Ecclesię restituendis, uel præficiendis, unā cum ablatorum bonorum restitutione, dictum est, maximam habet annexam necessitatem: quia ex earum præsentia, ueluti hominum assidue Deum pro publica salute deprecantium, pax, & amicitia pariter, & omnium rerum abundantia reuertetur. Nec formidanda erit discordia fratrum Regionum, aut filiorum nobilium, quando tales adsunt mediatores, qui eos in dulci concordia fouere uelint, & poterint, ne mutuo se lacerent, uelut bestię in solitudine congregientes: quemadmodum in Aquilonaribus regnis iam imminet: & nisi Deus placatus auerterit, discordia hæc (ablatis regni thesauris) paritura uidebitur irreparabilem perniciem, & confusionem. Tuncq; in tormentis aperient oculos, & dicent, Merito hæc patimur, dum nullam commiserationem cum consertus nostris (bonis omnibus ipoliatis, atque eiectis) haberemus. Tunc etiam intelligent, quomodo irreligio, & uiolentia numinibus, ac sequitia, & irrisio hominibus sit iniusta, & odiosa. Nec deerit huic rei exemplum in gente Longobardorum, Gothorum sobole: quæ ut Paul. Diacon. lib. 5. cap. 6. refert, oraculo diuino contemptui habito, periit, dum diui Ioannis Baptistę Basilicam in Modicia constitutam, per uiles personas ordinari permisit, ita ut indignis, & adulteris, non pro uitæ merito, sed præmiorum datione, iisdem locus uenerabilis largiretur. Quid autem nunc fieret superbis contemptoribus, & Ecclesiarum impijs sacrilegis, si Deus ultionum eos, eorumque apostatas Ecclesiarum occupatores, disperderet, & puniret? & utique (nisi poenituerint) puniet eos. Refert etiam antiquus, & fidelis autor Sigebertus, quod Clodoueus Rex Franciæ, corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens, minus religiose, licet auidē, os brachij eius fregit, & rapuit: moxq; in amentiam perpetuam incidit. Quid uerò tam audacibus, & atrocibus religionis (nostri infelicissimi temporis) persecutoribus, & sacrilegis iusta Dei retributione eueniet ab eo infallibiliter expectant, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Caueantq; scriptum fore: Potentes potenter tormenta patientur &c. Et quod horrendum sit incidere in manus uiuentis Dei. Interim tamen dum aliena iniuste furripiunt, proprijs spoliuntur.

Quæ hic Olaus de Clodoueo refert, de Clodoueo eius nominis II. sunt intelligenda, qui uixit circa annum Domini DC. XLVI. uel ut alij uolunt DC. LX. quamuis non desint, qui meliora de eo referant. Alias non præter occasionem Clodouei, eius nominis primi, uitam hic adiecimus, qui relicto paganismo fidem Christi amplexus à S. Remigio sacro fonte ablutus, multa contulit Ecclesijs beneficia, Arrianam hæresim persecutus, alias etiam res præclare gessit: antecessit hunc annis circiter centum & quinquaginta. Ioan. Mag. lib. 16.

Optimo igitur, & Prudenti patri Alaricus minus prudens successit: qui defuncti patris uirtutes, & monita minus exequi curauit, quam imminētis temporis discrimina requirebant. Pacem enim, quam pater Euricus cum Clodoueo, alias Ludouico, Francorum Rege prudenter cōposuerat, imprudenter euerit. Cum enim Clodoueus N. Romanū ducē Suefionis bello urgeret, & ille tanto Regi impar bello uictus succumberet, ad Vefgothorum Regem Alaricum, qui Theoderici Ostrogothorum, & Romanorum, ac Italię Regis filiā coniugem

iugem habebat, supplex confugit. Quem cum Alaricus contra Clodoveum defenderet, totam belli molem in se, & suos Vestrogotos conuertit. Igitur totis utrinque uiribus concurrunt, & pertinacissimis animis pugnatur: tandem cadente Alarico, cedunt Gothi, occisa maxima eorum multitudine, ut testatur Rodericus Toletanus. Deinde Clodoveus uictoria im-
portune usus, uictos longe lateque profligando, Tholosam, & totam Fraciam Gothicam, & quicquid antea Euricus à Franciæ regno uictorice manu acceperat, uiribus & armis recuperauit, atque in suam potestatem redegit: fuissetque tunc de magna Hispaniæ parte actum, nisi Ostrogothi ex Italia irrumpentes, periclitantibus cognatis Vestrogothis necessariam opem præsto attulissent. Theodericus enim ipsorum Ostrogothorum, & Italiæ Rex, ubi comperit Alaricum succubuisse, bellum pro genere suscepit in locerum: tenebat enim filiam Clodouici coniugem) misitque duce cum expedito exercitu, graui bello Francis congregitur, atque adeo atrociter iniuriam Vestrogothis illatam uindicauit, ut in uno prælio triginta Francorum millia (prout lib. 7. supra dictum est) occisa corruerent. Recuperata sunt ea cruenta pugna (teste Didaco Valera) omnes ciuitates & terræ, quas Franci superato Alarico occupauerant, & potentia Theoderici pro Amalrico filio Alarici conseruata. Vnde euenisse credo, quod apud Cassiodorum inueniantur Theoderici decreta ad Hispaniarum gubernationem ædita. Extant & literæ ad magistratus in illis constitutos datæ, quibus satis apparet Theodericum non solum Romam, & Italiam prudenter rexisse, uerum etiam Hispaniarum terras à Francorum impugnatione liberas conseruasse.

Amalricus uix puerilem ætatem egressus, patri in campis Vagladensibus in bello Gallico occiso surrogatur in regnum Vestrogothorum, aui materni (ut diximus lib. 7. uiribus defensus, alioquin intolerabili Francorum impetui nequaquam resistere ualuisset. Assidue enim Franci Vesgothis infesti permansere. Erat quoque non minus formidabilis illa controuersia, quam domi sustinuit, diuisis Gothorum animis in diuersa erga diuersos Principes uota. Pars enim mortui Alarici germanum Gesalaricum (quamuis illegitimo toro genitum) in regni solium euexit: in quo parum feliciter ad quatuor annos præsedit, & nonnulla prælia magis temere, quam prudenter contra Francos attentauit: in quibus tandem periclitatus, uitam pariter & regnum amisit. Cœperuntque Franci Gothos, & Hispanos, tum propter infelicem Gesalarici fortunam, tum propter Amalrici pueritiam contemnere, copiasque, quibus eos opprimeret, comparare. Quo comperto Theodericus Ostrogothorum atque Italiæ Rex, indignè tulit paternum regnum ab Amalrico nepote suo auferri. Proinde (ut Didacus Valera asserit) potentissimo exercitu instructus, se in Hispanias contulit, quas totis duodecim annis, donec Amalricus in perfectum uirum euaderet, per singularem prudentiam & potentiam gubernauit. At postquam Theodericus relicta Hispania in Italiam rediisset, breuiter in fata concessisset, Clodoveus Francorum Rex, qui nouiter ad ueram Christi fidem conuersus fuerat, consentientibus proceribus, bellum Vesgothis denuo intulit, non solum quia terras Francorum occupauerant, sed quia Arrianæ perfidiæ assertores erant. Cum igitur in eo prælio nimis urgeretur Clodoveus, S. Martino equum, cui insidebat, deuouit, si uictor euaderet. Voti compos promissum equum offerre non distulit. Sed dum eum pretio centum aureorum redimere uoluisset, nec equus inde moueretur, ducentos impendit, & confestim iumentum iam liberum sequitur expectantem. Tum Rex ait: Martinus quidem bonus adiutor est, sed stipendio pretiosus. Procerum deinde consilio apud Parisios habito, cum satis de gerendo bello aduersus Gothos Arrianos constitutum esset, uouit (ut superius diximus lib. 7.) basilicam Principi Apostolorum (quæ nunc in ea ciuitate insignis uisitur) si uictoriam de fidei hostibus obtineret.

Igitur Vestrogothi, cognito Francorum proposito, uicinos & confœderatos suos Aluernos in belli societatem aduocarunt. Quorum copiis succincti, aduersus Francos in aciem prodierunt: fit atrox & pertinacissima pugna pro regno, atque Christiana fide, quæ omni regno, & ipsa uita charior esse deberet omnibus Regibus, & Principibus Christianis. Tandem in ea pugna superatis Vestrogothis, & Aluernis, utriusque partis duces ceciderunt. Eam uictoriam assecutus Clodoveus, priusquam hostes uires resumerent, confestim filium suum Theodericum ex ancilla genitum, in Vestrogothorum & Aluernorum terras immittit. Quibus superatis, in Tolosam, quæ adhuc erat caput regni Vestrogothorum, Vasconiamque arma conuertit. Amalricus uero unicus Alarici filius sese intra Pyrenum communiuerat: qui etsi Tolosam cum paternis thesauris, & Vasconiam amiserit, Hispaniam tamen Vltiorem cum Pyreni saltibus, prout pater possederat, defensus, pacemque enixe petiuit: ad quam etiā Clodoveus inclinatus erat. Sed cum interim audiret, Arrianam hæresim in Burdegala, & ciuitatibus uicinis magis, quam alibi in Vestrogothorum regno feruere, in eas exercitum ducere non distulit, eademque & direptionem in Vesgothos exercuit, donec suscepta sincera fide hæ-
resi

res abrenuntiarent. Quo facto, Episcopos illis Catholicos instituit, atque cum gloriosa uictoria in Franciam remeauit. Quæ uictoria quantum displicuit Regi Ostrogothorum Theoderico, tantum placuit Iustino Imperatori, ut supra lib. 9. satis est ostensum. Exitus autem Regis Amalrici (iuxta historiam Valeræ) erat in bello contra Gilibertum Francorum Regem, in quo occisus uitam pariter & regnum amisit. Huius autem belli occasio hinc suscepta fuit. Postquam Amalricus superatis quam plurimis difficultatibus ad paternum regnum peruenit, ut suum regnum finitimorum Principum affinitate stabiliret, Totildam Franciæ Regem, Giliberti & Clotarii, qui patri Clodoueo mortuo successerant, germanam in coniugem suscepit, & liberaliter primū, mox contemptissimè habuit. Quippe, ut dictum est, Arrianus ueneno imbutus, rectæ fidei mulierem despiciebat. Hæc postquam diu passa esset illustrissima mulier, fratribus per literas significat, quæ a uiro infideli toleraretur: laturaque esset, nisi Amalrici perulantiam temeritatemque compescerent. Prouocati igitur crebris & iustis sororis precibus Reges, arma comparare festinant. Interim Gilibertus unus eorum excelsio uir animo, non expectato Clotario, militem in Amalricum educit: qui etiam magnam quam potuit suorum manum mari terraque contrahit. Pugnatum est æquis uiribus diu, acriterque: sed Gothis cedentibus, uictoria penes Gilibertum remansit. Itaque uictus Amalricus, dum fuga salutem querere cogitaret, a milite Franco inter fugiendum confossus interiit. Quo comperto Rex Francus Gothos incredibili feruore persequi non destitit, donec ad ualidissimam urbem Toletanam peruenisset: quam obsessam, & a ciuibus non segniter defensam capit, captamque militi tradidit diripiendam: atque ita sorore recepta, & mox morbo (dum reduceretur) ablumpta, in paterno monumento tumulatur.

Teudes, siue Teuda, difficillimis Reipub. temporibus procerum uoluntate in regnum surrogatur Amalrico, eo quod ille sine prole mascula obisset, cum nunquam magis necessarius esset Rex in re militari peritissimus. Quippe Francorum Reges Gothis admodum graues imminabant, necdum plenè recuperata erant, quæ bello proximo ante mortem Amalrici perditæ fuerunt. Igitur Teuda restituendis in pristinam libertatem atque integritatem regnis intentus, omnia egit, quæ augendo Gothorum regno opportuna uidebantur. Gilibertus tamen Parisiorum Rex fortem illi manum opposuit. Sed cum par esset utrinque potentia, nunc hæc, nunc illa pars uictoriam reportauit. Peruenit aliquando Francus cum exercitu ad expugnandam Cæsaraugustanam ciuitatem, quod ibi Arrianam hæresim uigere putasset. Percontatus autem hominem, quem in agro deprehendit, quam religionem urbis habitatores sequerentur, essent ne Christiani Catholici, an Arriani. Ille (ut erat agricola) pro suo capto (ut poterat) respondit, Sanctam inibi in Deitate Trinitatem, & unitatem in Trinitate credi. Gaudens Rex Gilibertus Pontificem urbis ad se euocat, eumque alloquens ait: Quia catholicam plebem audio hanc urbem inhabitare, arma, quæ contra Arrianos sumpsi, inde conuerto. Sed quem interim hæc urbs inter coelicolas patronum ueneratur ille refert, Diuum Vincentium martyrem esse præcipuum eius loci defensorem, quod eius in terris reliquæ ibi seruarentur. Cui Rex: Ne tantum laboris ex itinere frustra susceperim, rogo mihi aliquid ex sacris eius reliquijs impartiri. Igitur Pontifex, & clerus communi consensu stolam, & tunicam sancti martyris Regi donauerunt. Ille suscepta dona quam sanctè adseruata secum duxit Parisium, ibique eidem sancto martyri Vincentio ecclesiam construxit, & dedicauit, institutis ibi monachis, quibus easdem sancti martyris exuias diligenter conseruandas commendauit. Sed silendum non est, quomodo Valerianus Hispanus allerat hunc Teudem cooperatione illustrissimæ Reginæ Amalasuentæ, Theoderici Regis Ostrogothorum filie, factum fuisse Regem Westrogothorum, et tandem ob ingratitudinem accepti beneficii, a famulo eiusdem Regine in ciuitate Hispalensi trucidatum.

Teudiscus, siue Teudegisus, post mortem Teudis consensu procerum in Westrogothorum Regem assumitur. Sed nihil felicius illi successit in adepto regno, quam occiso nuper Teude. Quippe quemadmodum ille ob suam intolerabilem ingratitudinem in fata uiolenta concessit, ita hic Teudegisus, qui studuit eius peruersa opera imitari, exitum haud dissimilem expertus est. Enimvero potestate Regia, quam a Deo in uindictam malorum, & laudem bonorum acceperat, ad maxima, atque non ferenda uicia abutebatur, ut magis suæ Reipublicæ, imo omnis uirtutis atque honestatis inimicus, quam Rex uideretur. Erat in primis nobilium uirginum, & matronarum corruptor, multosque proceres, qui tam nefarijs conatibus eius resistebant, interficiendos curauit, ut eorum coniuges suæ abominandæ libidini liberius, quam honestius inferuissent. Itaque nobiles tam iusto dolore prouocati, ipsum inter conuiuia petulantius exultantem occiderunt.

Cum in precedentibus de abolendis hæresibus ac restituenda uera religione egerit Olaus, necnon repellendis indignis, restituendisq; dignis: placuit eius rei aliquot exempla subijcere, quorum primum sumptum est ex histo. Ioan. Mag. lib. 36. in uita Athanagildi, Luibæ, Leonegildi & Recaredi, 67. 68. 69. 70. Gothorum regum externorum, quo tempore floruerunt, Leander, Isidorus, Fulgentius, aliq; plures, sanctimonia uite & doctrina conspicui.

Agilaus post Teudegisli mortem à Gothis ad Regiam dignitatem sublimatus, primum belli negotium contra Cordubam assumpsit. Siquidem cum Cordubenses aperte rebellionem molirentur, hic contracto præualido exercitu in eos mouere non distulit. Sed quos imparatos opprimi posse putabat, nimis paratos, & ad arma promptissimos inuenit. Proinde uehemens, atq; atrox prælium inire compulsus, post longum & anceps certamen ab eius loci incolis superatur, amissaq; maiore parte exercitus, & filio, in Emeritam fugiendo peruenit. Cætera eius tempora quæta fuisse traduntur: quod maxime ex eo prouenit, quia Francorum Reges bella, quæ antea solebant in Vestrogthos Arrianos pro fide Christi extendere, tunc in mutuam patriæ, & suam perniciem conuerterunt. Sæpe enim Gildebertus & Clotarius, qui ea tempestate in Francia regnabant, fraternis atq; acerrimis odijs inuicem confligebant, qui honestius, & maiore cum pietate pro dilatanda Christiana fide in gentes hæreticas gladios suos extendissent. Sed erat tunc, ut nunc, Christi honor post terrenum & caducum regnum, atq; in infimo situ collocatus, qui debuisset regnis, & omnibus huius mundi bonis longa intercapedine præferri. Sed tum Deus iustus iudex Agilaum, qui Arrianæ blasphemiae studuit esse imitator & defensor, ita puniuit, ut postquam tempore paruo regnasset, eundem uita priuaret, & regno: a suis enim, quos ad ueram fidem promouere debuisset, iusto Dei iudicio trucidatur.

Athanagildus enim ueræ fidei Christianæ assertor, quamuis occultus, cum consideraret Agilaum in adepto regno nimis inolescere, atq; Arrianam perfidiam enixius defendere, cepit consilia inquirere, quibus possit tam ingratum diuinæ maiestatis contemptorem à Regia maiestate deijcere. Erat tunc temporis quidam Amatus Romanæ urbis ciuis, & patricius, quem Narses, qui Italiam Iustiniani imperio restituerat, præfectum Narbonensis prouinciæ, & aliarum terrarum Gallicarum creauerat. Hunc igitur Amatam ueræ fidei catholice defensorem, Athanagildus in belli societatem inuocans, bello Agilaum adoritur, eumq; tanquam de diuinis & humanis rebus malè meritum deiecit, & occidit. Itaq; Vestrogthorum regno occupato, diu feliciterq; utpote per duos & uiginti annos (teste Blondo, & Volaterrano) regnauit, dignus qui inter optimos Reges connumeretur. Enimvero (ut habet Lucas Tuitienlis) Arrianam uesaniam auersatus, ueram Christi fidem, quamuis non satis aperte, profitebatur. Huius autem tempore ob diuturnæ pacis commoditatem Gothi & Alani in unam gentem (referente Blondo) hoc modo coaluerunt. Ea, inquit, longitudine pacis Vestrogthi Hispanias, Citeriorem Vterioremq; pacatissimas habentibus, Alani cum Vestrogthis ita cohabitarunt, ut in illius gentis nomen suum sensim cõfuderint, atq; immiscuerint. Eos enim Alanos didicimus à Sebastiano Valentiniani Imperatoris duce ex Bethyca, quam sperauerant retinere, ad Vesgothos cõfugisse: qui quidem Vesgothi suspectos habentes nunquam simul uno in loco statua habere permiserunt: imo ne unquam possent, aut per seipsos rebelare, aut in Vandalos gentem amicam respicere, continuerunt illos in Hispania Citeriore: ex qua populorum mixtura facta est gentis utriusq; nominis compositio, quæ etiã nostra ætate perseverat. Et qui eo modo Citeriorem Hispaniam incoluerunt Gothi & Alani, nunc dicuntur corrupto uocabulo Cathalani, gens profecto illius industriæ, quæ generi suo in omnibus respondeat. Et siue casu factum sit, siue ex ingenio, bene habet, quod in nomine composito primam obtinet partem Gothica gens præstantior, quæ & Romam capere potuerit florantissimam, & capta paulò post Hispaniæ regna mille iam annos, supraq; (licet aliquando minus integrè) conseruauerit. Præterea in eodem loco Blondus adnectit, quomodo Romani imperij inclinatio tunc per Gothos extra Italiæ fines in Europa facta fuerit, quod neq; in Gallijs, neq; in Hispanijs, aut in Germania, siue in insula Britannia, & prouincijs, quæ Danubio adiacent, aliqualis ultra fuit Romano Imperatori, aut Romanæ Reipub. iurisdictio. Cæterum ad Athanagildum reuersi, inuenimus ipsum post diuturnum ac pacificum regnũ, naturali, non uolenta morte apud urbem Toletanam occubuisse: quauis Volaterranus asserat, ipsum suorum insidijs trucidatum, cum ego interim in hac re magis tribuam historijs Hispanorum.

Luiba

Luiba in defuncti Athanagildis locum communibus procerum suffragiis surrogatur: qui peractis paucis annis in eo regio principatu, cepit Regiæ dignitatis onera tantum fastidire, quantum imprudentiores homines ea concupiscere, & admirari consueuerunt. Proinde ne totam libertatem suam penitus amitteret, Leonegildum fratrem suum, siue (ut alij dicunt) filium, in regni consortem assumpsit, atq; ita amplissimi principatus curas diuisit, ut per se ipsum Franciam Gothicam, & nonnullas partes Hispaniarum ei uicinas regeret, cætera omnia permitteret Leonegildo. Hi Reges, etsi Arriana hæres infecti essent, tamen permiserunt Catholicos Pontifices suas synodos celebrare. Siquidem eorum tempore non parua controuersia inter Hispaniarum & Galliarum Episcopos de celebratione Paschalis festiuitatis emeruit, quæ difficile poterat humana industria diffiniri, quemadmodum in historijs Hispanorum latius continetur. Tandem Luiba, euoluto pauco annorum numero, mortifera egri tudine affectus, uitam regnumq; in Narbona reliquit.

Leonegildus, qui uiuente Luiba partem Hispaniarum administrauit, hunc illi mortuo in toto regno successit: qui si tantus in propaganda fide Christiana fuisset, quantum terreno regno augendo, conseruandoq; studebat, clarissimum inter omnes Principes locum haberet. Erat enim acerrimus Arrianæ perfidiæ defensor, omniumq; Catholicorum hostis, & persecutor. Habebat namq; filium Hermegildum, cui uxorem Gildberti Francorum Regis orthodoxi filiam accepit: quæ cupiens maritum ad ueram Christi fidem conuertere, egit cum Leandro Pontifice Hispalensi, ut uirum suum inuideret, secumq; de uera religione tractare dignaretur. Annuit pius Pontifex tam pijs, & iustis optimæ fœminæ precibus, & cum illo de uera religione conferens, ostendit ex sacrae scripturæ testimonijs intolerabilem Arrianæ perfidiæ impietatem, tantumq; profecit, ut uolentem Christo lucraretur. Itaq; Hermegildus ad Catholicam ecclesiam, & fidem cōuerso, pater eum ferro uinciri iubet, & in carcerem trahit. Sed nullæ carceris tenebræ poterant ueræ fidei lumen in eo accensum extinguere, quin potius gauderet se pro Christi nomine contumeliam pati. Perseuerauitq; in ea Christi confessione, usq; ad uitæ exitum per illustre martyrium. Ipso enim sanctissimo Dominicæ resurrectionis die orto iam sole, impius Rex pium & optimum filium in carcere clausum (misso spicatore securi percussit, Christumq; pretiosum martyrem consecrauit. Vxor uero occisi sanguinarius Regem abominata, cum paruulo filio effugiens, incidit in manus militum Mauricii Imperatoris, qui tunc per quamcunq; occasionem in Gallijs uersabantur: a quibus capta in Siciliam perducitur, ut inde Constantinopolim ad Imperatorem pro obside mitteretur. Non tulit fragilis mulier insolitam marini itineris nauseam. Vix enim terram Siciliæ attigit, & mortifera agritudine correpta spiritum exhalauit, relicto paruulo filio, qui Constantinopolim ad Imperatorem est deductus. Interea Hildebertus Rex, ut iniuriam sororis uindiceret, grandem exercitum contra Leonegildum in Hispanias educit: nec legnior ille occurrit. Itaq; acerrimum prælium committitur, in quo utrinq; cadunt quam plurimi, sed ex Gothis pars maxima. Nec alia res, quam iusti doloris uindicta quæsitæ uidebatur. Et quidem talis erat Leonegildus in Christianam fidem. Cæterum quæ ad Regis officium spectabant, strenuissimè exequabatur. Siquidem omnes rebelles ciuitates per Hispanias subiugauit, regnum suum potenter dilatauit. Cantabriam, & multas terras recuperauit, deniq; Calliciam, expulso inde Audeca Rege, & gente Sueuorum (quorum maiores in ea parte ceterum septuaginta annos regnauerant) regno Westrogothorum adiunxit. Quem tandem post multa & insignia facta mors ex infirmitate contracta Toleti superauit, & extinxit.

Recaredus optimus Rex, patri suo Leonegildo in regno, non in moribus successit. Ille enim uehementissimum Arrianæ sectæ defensorem, hic Catholicæ fidei assertorem se exhibere curauit. Ille terrenum regnum augere, & conseruare studuit: hic cœlestem simul & terrenum principatum ita curauit, ut hunc transitorium, illum sempiternum æstimaret. Quocirca ne Christianam religionem in postremis collocare uideretur, effecit, ut septuaginta duorum Episcoporum synodus anno Christi quingentesimo nonagesimoquarto per Hispanias, Franciam, Italiâq; conuocaretur, in qua de religione, deq; æterna Christi diuinitate constitueretur, quid sentire oporteret. Ibi Leander Hispalensis Pontifex, uir fide Catholicus, & in lege Dei exercitatissimus, atq; in sacris scripturis doctissimus, acerrimè disputans, adeo confutauit sectam Arrianam, ut Recaredus ipse cum proceribus, & omni gente sua renunciaret paterno & gentili errori, seq; cæteris per Catholicam ecclesiâ fidelibus religione & fide conformaret. Quæ res per omnes Hispanias, Gallias, & Italiâ admirabili omnium lætitiâ, & profuso gaudio excepta est, nomēq; Gothorum longè gloriosius reddidit, quam prioribus annis ulla in armis claritas efficere potuisset. Deinde omnes Arrianos ex omnibus Hispaniæ partibus effugauit, Catholicosq; pontifices & sacerdotes ab exilio reuocatos in suas ecclesias, & prouentus restituit. Summo quoque honore eos affectit, qui pro Christi

Hh nomine

nomine contumeliam hæcenus sustinuerant. Præcipui autem cooperatores, & auctores, quibus Gothica gens, abnegata heresi, ad Orthodoxam fidem conuerteretur, erant tres sanctissimi Pontifices ex Gothico, & Regio sanguine procreati, Leander, Fulgentius, & Isidorus: quorum opera effectum est, ut nunquam deinceps uera apud Hispanos religio cessaret. Hoc itaque ueræ religionis fundamento posito, Recaredus manum ad regni defensionem extendens, sæpe contra Romanos pugnavit, totiesque uictor eualit. Refert Raphaël Volaterranus hunc Recaredum cum Francis bellum gessisse, atque ex eis quadraginta millia occidisse: cum interim tantæ bonitatis erga suos fuisse asseratur, ut nullus esset in tanto numero subditorum, à quo non diligeretur ut pater. Tributa enim, & exactiones à patre Leonegildo impostas, in totum sustulit, & remisit. Quamobrem cum Toleti diem clausisset extremum, tantus ubique luctus audiebatur, unaquæque domus suum præcipuum amicū amisisse putaretur.

Luiba post optimi patris Recaredi mortem in paternum solium ascendit, optimæ quidem spei adolescens, utpote qui à Christianissimo patre didicerat, totam sui regni administrationem ad Dei gloriam, & proximorum utilitatem applicare. Quemadmodum enim omnium uirtutum officia in pio, atque integerrimo patre relucebant, ita nihil aliud in tota filij uita, quam maiorum honestas, & summus erga diuinam religionem feruor apparebat. Quocirca nonnulli in Deum & patriam impij, in eum sine ulla causa insurgentes, ipsum non sine publico omnium luctu trucidauerunt, postquam duos annos in regno Gothorum compleuisset.

Alterum exemplum, quod contigit sub Cindasuindo 80. Gothorum Rege exterrito, ubi amoto Theodisco hæretico primato Hispalensi, in ipsius locum Toleti constitutus est S. Eugenius in Archiepiscopum. Duæque hæreses Heluidiana & Pelagiana in Hispania sopitæ: ex Ioan. Mag. lib. 16.

Cindasuindus deinde post Tulgæ mortem Gothorum regnum, non expectata procerum electione, per uim & arma occupauit: quod fortè non alia ratione ausus fuisset, nisi quia Reipublicæ plurimum metuebat, ne ad manus alicuius crudelis Principis deuolueretur. Enimuerò talem se in occupato regno gessit, ut omnes partes optimi Regis diligenter exequeretur. Siquidem ante omnia temporalis regni negotia, totum animum suum ad augendum Dei honorem conuertit, decoremque domus Dei enixius cæteris omnibus dilexit. Pontifices, prælatos, sacerdotes, & totum ordinem cleri prouentibus, priuilegijs, libertate donauit: contentionem illam, quæ erat inter pontifices, Hispalensem & Toletanum, de primatu Hispaniarum, per Summi Pontificis auctoritatem aboleri procurauit, translata ab Hispali ad Toletum primatus sede, & dignitate: ad quod non paruam occasionem præstitit Theodiscus Græcus archiepiscopus Hispalensis, qui ecclesiam suam multis hæresibus & erroribus corripuit, ac infamauit: non ueritus multas hæreses in doctrinam, & libros, sanctissimi Isidori immiscere, abrais pluribus, quæ ueram in Christiana fide pietatem sapiebant. Ob quam impietatem pontificatu deiectus in Africam concessit, ibique errores plurimos simplici populo prædicauit. Deinde cooperante Cindasuindo congregatum est septimum concilium Toletanum, in quo fuerunt quatuor Archiepiscopi, & triginta episcopi, cum alijs compluribus prælatis, & nuntijs eorum, qui adesse nequiverunt. In eo concilio post multas, & utiles, ac necessarias pro Christiana fide constitutiones, sanctus Eugenius electus erat in Archiepiscopum Toletanum, & à Summo Pontifice confirmatus. Præterea idem optimus Rex missus ad Summum Pontificem idoneo legato (quem credo fuisse sanctum Tayonem Episcopum) supplicabat ad se transmitti Morales libros diui Gregorij Papæ. Cui Papa respondit, se quidem libros illos libenter mittere uelle, si inter tot librorum uolumina, quæ in Romanæ Ecclesiæ archiuio continentur, reperiri possint. Mœstus eo responsō nuntius, se in templo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ad diuinum auxilium orando, & plorando conuertit: factumque est, ut media nocte sancti Apostoli, & cum eis sanctus Gregorius ineffabili claritate fulgentes, illi oranti apparerent, locumque designarent, in quo librum, quem quærebat, inueniret. Itaque annuente Summo Pontifice, pretiosus illorum librorum thesaurus, in quibus tot integerrimi mores continebantur, in Hispanias est cum maximo Romanorum damno translatus. Qui si in hoc nostro infelici tempore ad Romanos remitteretur, profecto felicissimi fierent, qui cupiunt per Romanos mores instrui, & emendari. Cum autem Rex Cindasuindus tam integra esset erga Deum, & diuinum cultum pietate, factum est singulari Dei be-

Dei beneficio, ut toto decennio, quo regnavit, nullus hostis domi aut foris Gothorum Rem publicam in aliquo molestaret. Vbiq; syncerus Christi cultus, ubique uera inter homines charitas, nusquam hæreses, nusquam in Regem, aut Rempublicam rebellio apparuit. Quocirca Cindasuindus gloriosa morte in urbe Toletana defunctus, meruit inter felices, & bonos Reges connumerari.

Recinsuindus, quem pater Cindasuindus quatuor annis antequam moreretur, in regni consortem assumpserat, à proceribus post patris fata in Gothorum regno confirmatur. Hic à paterna probitate & pietate nihil degenerans, primam curam de augenda & conseruanda Christi fide, & honorandis Dei ministris assumpsit: quod satis ostendunt illa tria concilia Toletana, quæ successiue totis decem & octo annis, quibus regnavit, celebranda curauit. Nec minus in bello felix, quam in Christiana pietate conspicuus erat. Siquidem suo tempore Vascones in Hispanias irrumperé ausos non solum repressit, & profligauit, sed secutus à tergo fugientes, patriam eorum deuastando spoliavit, magnamq; ex eis multitudinem, quæ bella maluerat quam pacem, occidit. Itaq; gesto feliciter bello, ipolijs opulentus ad suos cum gloriosa uictoria remeauit. Quo etiam tempore extinctum est in hoc mundo illud gloriosum lumen omnium Occidentalium ecclesiarum sanctus Eugenius archiepiscopus Toletanus: in cuius locum Ildefonsus non minoris sanctimonix, & eruditionis, dignissime successoratur: in cuius tempore duæ hæreses, Pelagiana & Heluidiana ex Gallijs in Hispanias irrumperentes, maximam Hispaniarum partem corruerunt, & à recta fide abduxerunt. Quorum assertoribus Ildefonsus sese tam uiriliter opposuit, ut publica disputatione, petitis ex sacra scriptura euidentissimis argumentis, cōuinceret eos esse intolerabiles Christianæ fidei inimicos: atque ob eam perfidiam ipsos quantocyus extra Hispanias eijci mandauit. Deinde nunquam à prædicatione diuini uerbi cessauit, donec confutatis hæresibus totam patriam Christo restituisset, omnibusq; persuasisset, sanctam Dei genitricem Mariam contra eorum impias assertiones uirginem esse perpetuam, & inuiolatam: quæ idcirco tam pio prædicatori suo uisibiliter, & miraculose apparens, indumentum contulit, quo in summis ecclesiæ suæ festiuitatibus uteretur. Quod autem, uel quale fuerit, non satis exprimunt historiæ Hispanorum. Demum ipse Rex Recinsuindus, postquam toto tempore sui regni se omnibus exhibuerat optimum & iustum, liberalem ac gratiosum, summeq; affabilem, & benignum, contracta apud Palentiam graui egritudine, uitā transitoria sempiterna commutauit.

*Tertium exemplum ex libro. 17. Ioannis in uita Stenchilli, qui missis
legatis petijt ecclesiarum Antistites ab Archie-
piscopo Bremensi.*

Ericus Aorsel, alias Stenchillus post defuncti patris Erici fata, cunctorum procerum & populorum assensu in paternum principatum assumptus, tanto felicius regnavit, quanto maiorem sollicitudinem propagandæ fidei Christianæ adhibere curauit: quæ ad eius tempore, diuina clementia palam & mirabiliter cooperante, non parua incrementa suscepit. Accidit enim, eo præsentē, totaq; populi multitudine circumstante, quod sacerdos omnium nomine sacrificia idolis offerens, repentina cæcitate percussus collaberetur: deinde postquam diu & frustra à cæcis idolis cæcitatē remedium postulasset, atq; in proprias ædes reductus sopori se tradidisset, ecce illa misericors misericordissimi Dei mater non dedignata est afflictum peccatorem, omni humana ope destitutum, uisitare, consolari, & de mysterijs sanctissimæ fidei nostræ Christianæ informare, Christi; Apostolum ex impio malorum demonum nuntio suscitare. Inquit enim: Quia lumine intellectus, & rationis tuæ abusus, à Deo uero te ad demonum cultum conuertisti, iuste corporis tui oculis priuari meruisti. Igitur si corporis tui oculos recipere uolueris, crede in filium meum Iesum Christum, qui est Deus Christianorum, eiusq; fidem firmiter serua, & ab omnibus seruandam prædica. Credidit ille, & credendo usum oculorum perfecte recepit. Statimq; Christianæ religionis diligentissimus prædicator effectus, omnem in circuitu regionem peragrandō, lumen ueræ fidei cordibus omnium incolarum infundere conabatur, ut & ipsi ab illa horrenda perfide mentis cæcitate qua infeliciter tenebantur, liberati, lumen ad reuelationem gentium ab alto exortum aspicere mererentur. Nec deerat omnis salutis auctor salutarem doctrinam fideliter annuntians: Quippe breui tempore non paruus fidelium numerus in uineam Domini ab ipso cœlesti patrefamilias uocatus intrauit, ut uerum ostenderetur Christi uerbum: Messis quidem multa, operarij uero pauci. Quamuis enim nonnullæ Christianorum reliquæ à tempore Beronis Regis ad hæc tempora in Suetia permanissent: attamen perendi erant ex Bremensi

Hh 2 Metropoli.

Metropolitano magis idonei doctores, qui uerbum Domini rectè tractare didicerant. Quò circa optimus Rex Ericus Stenchillus, missis solennibus legatis ab eodem Metropolitano, qui tunc erat Adagarius, aut eius successor, impetrauit ad se duos sanctissimos Pontifices in diuina lege doctissimos confestim emitti, uidelicet Adaluardum, & Stephanum: qui tanto honore à Rege & populo excepti fuerunt, ut ab hominibus maiorem assequi nequiuissent. Prædicabant Christi Euangelium continuè & diligenter, crescebat quotidie cum magno fructu diuini uerbi plantatio, baptizabatur magna populi multitudo, tantusq; omnium ardor ad baptismum erat, ut euolutis paucis diebus nulli, aut paucissimi incolæ in uniuersa ciuitate Birchenfi (quæ tunc frequentissima erat) inuenirentur, qui Christianæ militiæ ascripti non essent, quemadmodum in historia Pontificum Vpsalensium diffusiùs ostendere curauimus. Sed non deerant illi pessimo humani generis inimico suæ solitiæ artes, per quas tam ipsi optimo Regi Erico Stenchillo, quàm etiam sanctissimis Pontificibus grauissimas persecutiones, & insuperabilia pericula passim ab incolis regni suscitaret, præsertim illis, qui de sanguinis nobilitate magis, quàm de uirtute gloriabantur. Hi enim uidentes Christi legem suis operibus contrariam, coeperunt eius assertores primo occultè, deinde palam apud simplicem & ignarum populum, multis calumnijs atq; improperijs afficere, ita ut Rex ipse una cum Pontificibus publico uulgi clamore ad interitum peteretur, quasi non esset ueri Dei cultor, sed nouorum dæmoniorum annuntiator: tantumq; uesani populi furor à proceribus excitatus inualuit, ut Christiani Pontifices comprehensi, & uirgis caesi, ac plurimis iniurijs affecti, ex Vpsala ad Bircham duorum dierum itinere redire compellerentur, cum inrerim Rex nunc huc, nunc illuc fugitando latebras captaret, nolens manus suas sanguine diuini contaminare. Tandem postquam multos labores, & pericula pro augendo Christi cultu sustinuerat, ab ingratis ciuibus, & malignis proceribus impugnatu trucidatur.

De pacifica gubernatione bonorum Principum
& periculo malignorum.

C A P. XLII.

F T si nonnunquam boni Principes ob demerita subditorum (quorum maxime intererit, ut diutius uiuant) Deo permittente, è medio subtrahuntur, imò & filij eorum præmatura morte, ut parentes in alio seculo excipiant, rapiuntur: tamen ea felicitas Aquilonaribus indigenis obuenerat, ut gubernantibus pijs Principibus (quod rarius profecto acciderat) omnium securitas, atque pacis, & rerum opulentia abundaret. idq; obuenerat ob causas superius lib. 8. cap. 4. de qualitate boni Regis allegatas. Insuper hic additur, quòd diutius, tranquillius, & securius multò præesse, ac prodesse solent, quando se (salua Regia honestate) amabiles humanos, clementes, affabiles, largos, atq; munificos apud omnes, maxime desolatos, & quauis humana ope destitutos, exhibent: (unde populi fauor, & Principis honor accrescet) quam è contrario, quando omnibus sese minaces, & horrendos præbent. Seueritas namq; & austeritas, molestia, & subditorum multatio, & innocentium oppressio facit, ut Principes nimia elatione illusi, ad eam obstinariam deueniant, ut pace contempta, sanisq; consilijs spretis, fiant pertinaces in proposito, stupidi in iudicio, mente incorrigibiles, auaritia insatiabiles, tributis imponendis intolerabiles, alienæ quietis turbatores, duri, torui, immites, inflexibiles, inexorabiles, & omnigena uitiorum caterua repleti, neminem etiam animo ferentes. Tunc euenire solet, ut subditi ad libertatem respicientes, ea remedia, uel secreta, uel publica conspiratione cogitent, quæ nunquam permittunt tam impium, & insolentem diutius gubernare. Cuius rei exempla, quia in recenti historia Gothorum & Sueonum, imò in alijs multis autoribus plurima, ac horrenda notata sunt, ex eis, si libet, requirantur: inueniturq; quòd corripì merentur, ut humani generis hostes.

Quim

*Quum hic de pacifica gubernatione bonorum Principum agat Olaus, uisum
fuit eius rei unum aut alterum exemplum ex historia Ioannis
apponere, quorum primum sumptum est ex
hist. Ioan. Mag. lib. 4.*

Gotharus in locum patris sui Tordonis communi Sueonum Gothorumque consensu in Regem electus, præcipuam curam adhibebat, ut procerum à quibus in regni solium sublimatus fuerat, & totius populi expectationi satisfacere posset. Sciuit enim se Regiam dignitatem super illum populum assumpsisse, qui enixius studere consuevit conseruandæ suæ libertati, atque ad res arduas ac præclaras facilius ducti, quam cogi posset: quæadmodum in hac nostra tempestate nostros Gothos affectos experimur. Quos si proprii Principes ad insolita onera, uel tributa, siue prælia cogere tentauerint, citius uitam, quam allem aut teruntium à coactis extorquebunt. Cæterum si placido sermone ipsos studuerint inclinare, nihil tam arduum aut difficile fuerit, quod non parato ac prompto animo exequantur. Eodem quoque modo se in omnibus uirtutum officiis præstare contendunt, summo perè cauentes, ne ex tristitia, aut necessitate benefacere uideantur. Proinde ualde necessarium fuerit, ut qui huic populo Princeps constituitur magnam prudentiam cum singulari eloquentia coniunctam habeat: alioquin non diu expectauit, donec Gothorum Sueonumque animos ad rebellionem paratos experietur. Hunc populi sui morem Gotharus prudenter considerans, nullas leges aut constitutiones condere, aut præcipere uoluit, nisi procerum ac populorum consensu approbatas. Verum postquam legitima approbatio eos corroborasset, diligenter effecit, ne frustra conditæ putarentur. Præfectos uero suos, qui ipsius nomine & autoritate in populo præfidebant, non legum, aut consuetudinum terræ ignaros constituit, sed sapientes, quorum mens magis honori & gloriæ Regis, quam eius lucro & augendis opibus inclinaretur, qui scirent se liberis hominibus præsidere, non bestijs, neque ad suam tantum, sed magis ad populi utilitatem institutos. Erat nimirum ea Sueonum ætas tam felix, ut nihil ab illo seculo, quod Poëtæ aureum uocant, distare crederetur. Quæ enim maior felicitas alicuius gentis esse poterit, quam habere Regem, qui se nouit Regem, & patriæ patrem, non tyrannum esse, eaque omnia tum per se, tum per suos præfectos subiectis populis benigne assidueque præstare, quæ prius ac indulgentes patres indigentibus filiis sollicitè præstare consueuerunt? Alias si Principes ab ea Regia uirtute degenerantes, uim pro legibus, seueritatem pro clementiâ, tyrannidem pro paterno regimine in subiectos exercuerint, multo tutius erit ultra Sauromatas, & glaciale Oceanum confugere, uel ad sitientes Afros commigrare, aut latebras in deserto cum ursis, leonibus, tigridibus, serpentibus, scorpionibusque eligere, quam cum agresti tyranno, qui in stultitia sua confidit commorari.

Igitur cum Gotharus tanta moderatione suis præesset, tam domi quam foris ab hostium insidijs atque incursu liber, diu feliciterque regnauit, donec à Danorum Rege Frothone Vegeto iniuriam non ferendam accepisset. Siquidem is Frotho Noruegiæ Regem Frogertum, alias Frogerum (cuius filiam hic Gotharus coniugem habebat) ad singulare certamen prouocatum, astutius quam honestius occidit. Cum enim lege duelli cautum esset, ne alter alterum extra circum pugnae destitutum impeteret, Frotho maiorem uitæ suæ, quam honestæ legis rationem habens, postulat, ut Frogertus ante ingressum pugne armâ secum permutter. Quod cum Frogertus animo nobili & liberali annueret, atque à se gladium armâque permutandi causa abijceret, à Frothone Dano dolose transuerberatur. Quam iniuriam Gotharus ulturus, prægrandem exercitum ex Gothis Suecisque contractum, contra Frothonem in Daniam usque deduxit. Sed nec animus, nec uires Frothoni, ut armis arma depelleret, defuerunt. Itaque commisso acris prælio, fortuna primum Danorum partibus fauere uidebatur: sed cum Gotharus suorum animos in medio pugnae seruire deficere aduertisset, commemoratis tum suis optimis meritis, tum hostis dolis, & perfidia, trepidantem exercitum à fuga reuocauit, uictoriamque à Danorum manibus potenter prudenterque extorquens, Frothonem superatum extinxit, nihil eum adiuuante magnitudine nominis, quo à suis fortis, uegetusque appellatus est. Veruntamen ut deuictam Danicam gentem sibi benigniorem efficeret, filium Frothonis Danum nomine, pueriles annos uix egressum, regno præfecit, ne Danici regni maiestas potius ad extraneos translata, quam in sanguine & familia Frothonis continuata uideretur. Hac insigni uictoria Gotharus illustris effectus, maximo Sueonum Gothorumque gaudio in patriâ reuersus excipitur. Sed quia (ut plerumque fieri solet) ex priori bello sequens bellum excitatum emerit, non est permixtus diuturnâ in patria quietem deducere. Quippe Saxonie principes

Hh 3 Danum

Danum Danorum Regem (quod ob puerilem ætatem regno inhabilis uideretur) regno deijcere, aut ad tributa sibi pendenda cogere moliebantur. In qua necessitate Danus constitutus, auxilium à Gotharo per legatos implorat, ut quem regno præficiendum curauerat, etiam conseruare non omittat. Igitur Gotharus non minorem ex Suecis & Gothis exercitum ad hoc secundum, quam ad primum bellum eduxit: tantaq; classis ex illis copijs, atque adiunctis Danorum nauibus emerfit, ut pelagus ipsum longè lateq; bellica classe cooperatum uideretur. Qua potentia Saxones non solum repressi, sed ad tributa Danis pendenda coacti fuere. Reliqua huius Gothari tempora satis tranquilla felicitatq; fuisse traduntur, affirmantibus historijs nostris ipsum post longam senectutem apud Vpsalam metropolim in Regum monumentis collocatum.

Alterum nobis suppeditat Ericus, atq; Ioannes, 128. & 129. Reges interni: ex historia Ioan. Mag. libro 19.

Ericus Canuti Regis filius, ab exilio Noruegiano reuocatus, atq; in regna Suetiæ & Gothiæ, concordibus procerum, populorumq; suffragijs sublimatus, primam curam restituendæ Reipub. Christianæ, quæ nuper ciuiliū bellorum turbine non parum concussa fuerat, adhibiturus, uenerabilem Pontificem Vpsalensem Valerium, non secus ac patrem, à quo Christo generaretur, in omnibus audiuit, eiusq; salutaria monita piè, ac diligenter amplexus, ab omni populo diligentissimè obseruari præcepit. Quamobrem septem illi anni, quibus Gothia & Suetia his duobus luminibus illustrata fuit, tam felices & tranquilli, ac omnium necessariarum rerum affluentia beati fuisse prædicantur, ut uix unquam diuina misericordia liberalior in illas terras fuisse credatur. Quæ enim est felicitas, quam Deus unquam negaturus sit populo suo, qui sincera fide illi Regi paret, qui summum omnium Regem fidei obsequio ueneratur? Præterea hic optimus Rex ab eodem sancto Pontifice Valerio persuasus, magnum inimicorum numerum, qui in necem fratrum eius cum Suerchero consenserant, in gratiam & amicitiam excepit, nulli ad uindictam imputans, quæ etiam potuissent iusta seueritate puniri. Eodemq; Pontifice autore, nullos præfectos, siue terrarum præsides, prouincijs administrandis adhibere uolebat, nisi qui magis commodo subditorum, quam implendo Regio fisco inuigilarent, haberentq; eam rerum experientiam, qua possent ignaram plebem, & regnicolas de rebus gerendis instruere, utpote quomodo ades utiliores extruerent, quomodo prata extenderent, noualia serendis frumentis aptiora redderent, agrorum fertilitatem conseruarent, quomodo piscatu, uenatuq; & alijs quibuscunq; commoditatibus feliciores euaderent. Indignum quippe uisum est tam Regi serenissimo, quam Pontifici prudentissimo, ut illi præfecti Regni constituerentur, qui nullis prorsus rebus, quam emungendis pecunijs idonei essent, cum utiq; postrema in quocunq; bono Rege esse debeat pecuniarum cura: quam si primam habuerit, nihil omnino reliquum in eo erit, quo subiectis populis de suo principatu bonam spem polliceatur. Cæterum hic Ericus in insula Visingiana (quæ in uastissimo lacu Vether uersus Gothos Australes extenditur) continuam mansionem complexus, Gothos in fide & obsequio continebat, cum interim Valerius Archiepiscopus Vpsalensis apud Sueones, ne aliquem tumultum molirètur, diligentius prouideret. Erat hic Ericus Danorum Regis Valdemari gener. Ducta siquidem eius filia Richesa, genuit ex ea filium Ericum Balbum, postea Regem, & Ingeburgem, ex qua dux Ostrogothorum Birgerus (ut nonnullæ historiæ testantur) duos filios, Valdemarum & Magnum, successiuè Reges (de quibus postea dicemus) procreauit. Nec diu permissa est Suetia tam benigno huius Regis Erici præsidio gubernari. Octauo enim regni sui anno uitam hanc mortalem egressus, sepulturam in paterno monumento, in monasterio Varnhem apud Vestrogothos assecutus est, circa annos à Christo nato M. CC. XVI. Nec longè post Regina Richesa desiderio optimi mariti tabefacta, fatali necessitati succumbens expirauit. Credendumq; est, integerrimum Pontificem Valerium incurabilem animi agritudinem ex morte amicissimi Regis contraxisse. Quippe paucos annorum numero post eius fata euoluto, uitam transitoriam sempiterna felicitate (ut piè credimus) commutauit.

Ioannes præmortui Suercheri Regis filius, tam procerum, quam populorum consensu, ad utriusq; regni sceptrum, sublato è uiuis Erico, sublimatur: dictusq; est, ob defectum ætatis, Ioannes Iuuenis, siue ab innata pietate Plus. Erat namq; benignissimæ indolis, spemq; de se maximam, & optimam toti regno polliceri uidebatur. Cum enim sub tutoribus ageret, nihil, quod ab eis uetabatur, facere audebat: maximè autè sapientissimo Archiepiscopo Vpsalensi Olauo obediuit, eiusq; consilia, perinde ac unici patris præcepta, uenerabundus impleuit.

Uti: cui etiam maximarum, & difficillimarum causarum in suis regnis emergentium examinationem, decisionemque permisit, nihil dubitans, quin is, qui in diuina lege, & Christianis moribus esset instructissimus, de humanis etiam causis, & controversijs, certius sapientiusque iudicare posset, & uellet. Ita teneræ ætatis Princeps prudentiam, quam ex se nec præstare, nec polliceri poterat, alieno pectori prudentius erutam, sapienter subditis populis accommodauit. Attamen temporibus huius Ioannis, inceperunt nonnulli proceres Vestrogothorum negotium facere suo Episcopo Scarenfi Benedicto, de prædijs ecclesiasticis: summamque eorum intentio eò intendere uidebatur, quò Christianum sacerdotium humiliter efficiere, quàm olim erant sacerdotes Iudæorum, qui suas possessiones, & colonos ab omni Principum onere liberos, & sibi solis, ac suæ iurisdictioni diuino iure subiectos habebant. Cauebantque uehementer Iudæi, ne ipsam suorum sacerdotum libertatem à Deo institutam, in aliquo uiolarent, scientes seueram Dei ultionem diuinæ legis transgressoribus continuo præparatam. At præfato Vestrogothorum Pontifici Benedicto ea diuini iuris sanctio suffragari nequiuisset, nisi Regio sigillo confirmata fuisset. Quod quàm preposterum fuerit, alij prudentius attendant, qui nouerunt Regum iura diuinis legibus non præponenda esse, sed per eas dirigenda: cuius oppositum nunquam sine publica omnium incolarum pernicio euenire consueuit. Sed hæc est malignorum, aut ignauorum procerum consuetudo, ut cum uideant rerum summam uel ad pueros, uel ad imprudentes præsidēs deuolutam, mox sibi, quicquid liber, idem etiam licere putent. Proinde nimis infelix est regnum, cuius Rex puer est, & cuius Principes magis lucra, quàm honestatem sectari didicerunt. Sed euenit huic adolescenti Regi Ioanni, quod in sacris literis dicitur: Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius. Quippe anno quarto, postquàm regnare, uel regium nomen portare cœpisset, præmaturo fato in insula Vislingiana sublatu, publicum & maximum dolorem toti patriæ incussit. Sepultus in monasterio Aluastra, anno Christi M. CC. XXII. non longè à patris, & aui sui monumentis.

De eodem ex literis sacris.

CAP. XLIII.

NEQ; incongruè huic loco testimonium asserunt sacrae literæ, præsertim Deuter. 28. super benedictionibus bonorum, & maledictionibus reproborum applicandæ. Ibi etenim Dominus legitime certantibus, præter alia infinita bona pollicetur, & præstat uictoriam contra hostes: ut cum per unam uiam uenerint, per septem fugient à facie persequentis. Demumque bonis promittitur in eadem scriptura, quod eos constituet in caput, & non in caudam: & erunt semper superi, & non subter. Contra malos uerò ingredientiæ & egredientes, mittet Dominus famem, & esuriem, & increpationem, donec conterat, & perdat eos uelociter, propter adinventiones suas pessimas, in quibus relinquunt Dominum: qui etiam adiungit eis pestilentiam, donec consumat eos. Præterea percutiet eos fribri, frigore, ardore, & æstu, & aëre corrupto, ac rubigine, & persequetur, donec pereant, &c. Tradet eos Dominus corruentes ante hostes suos: per unam uiam egredientur contra eos, & per septem fugient, & dispergentur, per omnia regna terræ: eritque cadauer eorum in escam cunctis uolatilibus cœli, & bestiis terræ, & non erit, qui abigat. Percutiet eos Dominus ulcere Aegypti, & partem corporis, per quam stercorea digeruntur: scabie quoque, & purigine, ita ut curari nequeant. Percutiet eos Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpabunt in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris: omni tempore calumniam sufferent, & opprimuntur uiolentia, & non erit, qui liberet eos, &c. Præterea percutiet eos Dominus ulcere pessimo in gubus, & in suris, sanarique non poterunt à planta pedis usque uerticem capitis, &c. Filios, & filias generabunt, & non fruentur eis, quoniam ducuntur in captiuitatem, &c. Aduena, qui cum eis uersatur in terra, ascendet super eos, eritque sublimior, &c. Seruient inimico, quem mittet Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum super ceruices eorum, donec eos conterat. Præterea post multa adijcitur: Insuper & uniuersos languores, & plagas, quæ non sunt scriptæ in uolumine legis huius, inducet Dominus super eos, donec conterat eos: & remanebunt pauci numero, qui prius erant sicut

astra cœli præ multitudinem, quoniam non audierunt uocem Domini Dei sui, &c. Dispergentur in terras alienas: habebunt cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: timebunt nocte & die, & non credent uitæ suæ: uendentur inimicis suis in seruos, & ancillas, & non erit qui emat. Hæc, & similia terribilis, & gloriosi Dei uerba, quisq; aut Princeps, aut subditus, incessanter consideret, euitet, paueat, & caueat, ne plagis his corripatur, & hora qua non putat, ad iudicium perpetuo, nisi pœnitentia purgatus fuerit, condemnandus eripiat.

De turpi fuga, & ludibrio eorundem sacrilegorum.

C A P. XLIIII.

QUocirca comminationibus huiusmodi diuino iure in sacrilegos, & alios Ecclesiæ persecutores obiectis, si à maligno proposito, & nefario opere (quia illico non puniantur) cedere, aut ablata restituere noluerint, procul dubio experi cogentur, ex talibus uolentijs eorum principatum non posse subsistere, nec fastidita subditorum patientia fieri diuturniorem. Nam etsi oppressi coram aliquo terreno iudice (eodem forsitan, uel foediori crimine consperso) rectam sententiam, & executionem consequi nequierant: tamen clamore in cœlum porrecto multiplicatur supplicium, ut grauius puniatur oppressor. Interim eò miserior Rex, aut Princeps esse dinoscitur, quò ab omnibus habetur odiosior, & à nemine de præcauendo periculo informatur: imò quia crudeles armigeri, uel peregrini milites, bona ciuium & incolarum, iussu uel conniuentia Principis absq; pretio deuorant, fugientibus ipsis regnicolis in exilium, impius ipse Rex, aut Princeps avarus, murorum & uacuarum ædium, non hominum sentiat se Regem, & rectorem: tamq; horrendum, & ludibriosum experietur spectaculum, ut siue remaneat, siue post alios in exilium properet, semper quod alijs uersuto ingenio, & feroci tormento præstiterat, longè amplius suæ personæ inferri uidebit, maxime à militibus peregrinis, & falsis domesticis: qui non Principi tantum, thesaurisq; eius, mille hominum iniurijs quæsito, insidiantur: uerum etiam Regi inferunt mortem: cui maior succedet infamia, quàm nequitiosa præcesserat uita. Gaudium enim sacrilegi ui hypocritæ, instar puncti breuissimum erit: imò & stirps ipsa, ac soboles secutura (teste Plutarcho in libro de Institutione puerorum) quando ad altum fulcrum, id est sublimem torum deuenierit, tunc humana uarietate filij solent descendere ad infelicem sortem, &c. Sed multò magis, quando scelus parentum punitur in filiis filiorum, & generatione: atq; interim de formidine, pudore, uerecundia, atque periculo infligendæ sibi necis, ab aliquo parentum suorum crudelitate oppresso, & spoliato, securi haud erunt. Quo casu quàm acriter multi sint ubique perempti, nil opus est peramplius ostendere.

*Cum non solum hic de sacrilegis, & etiam in genere Tyrannis agat Olaus, ac quam misera eos fors maneant, etiam huius rei aliquot exempla apponemus. Illustrabunt etiam hæc cap. 42. proxime præcedentis partem posterio-
riorem, exemplum primum ex Ioan. Mag.
lib. 2. in uita Botuildi.*

Botuildus deinde Attili filius, siue (ut alij dicunt) nepos, trucidato per insidias Danorum parente, concordibus procerum & populorum suffragijs ad paterna sceptrum utriusq; regni Gothiæ & Suetiæ sublimatus, Regiæ administrationis officia ita exquebatur, ut principium gloriosum, finis nimium molestus sequeretur. Tota enim Sueonum Respublica, quæ sibi per eius prudentiam omnia felicissima pollicebatur, ad irreparabilem ruinam delapsa, tantum ingemuit, & defecit, ut multorum prudentium procerum diligentia atque labore uix tandem

tandem poterat post longa tempora in pristinae libertatis uestigium restitui. Quamuis enim clarissimis animi & corporis dotibus ita instructus esset, ut non electus, sed natus ad Regiam dignitatem ab omnibus aestimaretur, tamen parum earum rerum praestare curauit, ob quas ad tantum fastigium assumptus erat. Bella quae ab eius parente, & atavis, in longinquas terras, & male meritos hostes extendi consueuerunt, hic in illustres ciues, & viscera regni sui intulit. Prudentiam, qua in rebus gerendis praeditus putabatur, saepius ad ciuium perniciem, quam salutem conuertit. Malignis consultoribus aures & animum nimis adhibuit: quorum peruersa suggestione ad eam infelicem sortem deductus est, ut primo in patria contemptibilis, deinde in propinquis terris & regnis contemptus, publico odio iuste insectandus haberetur. Interea cum ea summa infelicitate laboraret, ut neq; a ciuibus, neque ab extraneis amaretur, incidit illi non leue praedium cum Hugulino Danorum Rege. Qui comperta ipsius domestica cum proprijs ciuibus controuersia, non parum exultauit, eam occasione diu opratam tandem aduenisse, qua iniurias in regnum Daniae a Suecis multo tempore illatas uindicare possit. Siquidem ad memoriam reuocauit, quomodo Dani ab Hothero Suetico Rege facti fuissent Sueonum tributarij, deinde ab eius filijs, Attilo atque Hothero multis grauibus praelijs, & non ferenda ignominia lacerati, demum a Roderico funditore Rege Suetico sub iugum, & in seruitutem missi: nec parum aestimanda uidebatur illa bellorum tempestas, quam pridem huius Botuildi parens, uel patruus Attilus, regno Daniae non una, sed geminata irruptione inuexit.

Quamobrem nequaquam ulterius differendam esse belli expeditionem, sed statim instructa militibus classe, bellum nauale in Suecos transferendum putauit. Ea Danici Regis machinatione intellecta, Botuildus suam gentem parum ad bella pro tyrano uoluntariam, nauibus imponit, duosq; nauarchos, Hemotum & Hegrimum eidem praefecit: qui etiam publicum omnium odium in se ob perniciofa consilia Regi subministrata prouocauerant. Igitur Dani nauale & acerrimum praedium aggressi, utrunq; classis praefectum primo impetu superatum occiderunt. Quibus una cum nonnullis alijs trucidatis, Sueci se animosius & pertinacius defendentes, in sua littora salui redierunt, optimè animati & contenti, non solum quia hostibus in pugna pares fuissent, sed quia suos domesticos tyrannos de omnibus ciuibus, & tota patria pessime meritos, marinis belluis sepeliendos reliquissent: quos utinam & nunc omnes illi perditissimi consiliarij subsequerentur, qui aures Principum adulationibus, & mendacijs, milleq; alijs fraudibus in perniciem innocentum seducunt. Profecto nunquam tot bella, tot seditiones, tot Regum ac regnorum euerfiones audiremus, si lateribus Principum & Magistratum illi fideles consiliarij assisterent, qui suaderent maiorem rationem iustitiae atq; honestatis habendam esse, quam sordidi lucri auri & argenti. Quis enim dubitat quin is Botuildus tanta nobilitate illustris, animiq; & corporis dotibus conspicuus, prudentia & militari fortitudine nulli secundus, si pares suae fortunae ac mai statim consultores assecutus fuisset, nunc in numero clarissimorum Regum conscriptus, memoriam sui nominis, ac laudem haberet immortalem, qui modo ut libero, ita iusto hominum iudicio, sordidum avaritiae mancipium, & foedum omnis nequitiae portentum nominatur, tam remotus iam ab omni uera laude, quam propinquus, dum ueniret, esse uoluit malignorum hominum adulationi. Sed haec quiescant.

Cum interim Dani considerarent ipsum Botuildum adeo exiguo fauore domi subnixum, saepe in Suetiam sese irrupturos comminabantur, ut subiectus populus tributis & exactionibus ab eo nimis oppressus, tandem se in libertatem uindicaret. Nec callidos hostes callidum fefellit consilium. Siquidem dum Danis ab Occidua regni parte resistere parat, Ruteni Danis confederati ab Oriente in Suecos impetum facientes, non solum infelici Regi, sed toti regno neq; ciuium difficile & periculosum effecerunt. Quibus angustijs dum Rex sese circumseptum consideraret, nec ei possibile esset, uno eodemq; tempore domesticas sedare discordias, hostibusq; potentissimis ab Oriente & Occidente insurgentibus occurrere, regnum relinquere, & fuga salutem quaerere cogitauit. Nec diu distulit, antequam conceptum propositum effectui mancipaturus, sese in classem ad hoc paratam immitteret. Sed priusquam anchoris & uelis eleuatis uento se committeret, quidam thesauri eius custos, sed prodigus, Regij honoris dilapidator Storbblindus, in aures eius susurro aedito, quasiui, an alicuius rei in terra oblitus esset. Cui Rex nimis tardè sapiens respondit, Ego (irruens) nimis diu oblitus fueram bonorum procerum meorum consilia audire, in quam occasionem nisi incidissem, ego saluus in salua patria, quam nunc turbatam relinquere cogor, permanerem. Moxq; erectis uelis se ad Curetes fugitiuo similis recepit: unde tandem pacato in melius regno reuersus est, & tunc sanioribus usus consilijs, multa conatus est in statum feliciorum reducere. Sed fatorum necessitati succumbens, prius in mortem concessit, quam uidere potuit suam piam intentionem

ram desideratum finem attigisse. Mortuus tandem non longè ab Vpsalia in Regum monumentis apud patruum Artilum collocatus est, relicto nepote Carolo: de quo infra lib. quarto latior sermo à nobis extendetur.

Alterum tyrannidis exemplum & miseræ eius sortis, ut pateret uerum esse illud

Poëtæ: Ad Generum Cereris sine cæde & sanguine pauci descendunt Reges & sicca morte tyranni:

ex Ioan. Mag. lib. 8.

Ostianus post præmaturam Adeli patris sui mortem, Gothiæ & Suetiæ Rex surrogatur: qui longè minora præstitit, quàm patria ab eius fide atq; integritate expectauerat. Factus siquidem Rex ita suos consanguineos erigit, & magnificare contendit, ut omnes credere possent, ipsum non ob salutem regni & incolarum, sed solum ob suam, suorumq; gloriam & fastum, ad regni fastigium conscendisse. Quicquid usquam in prouentibus Regalibus erat, quod proceribus de Repub. bene meritis in feudum conferri consuevit, illud in nepotes, & sordidam eorum familiam erogandum erat. Præterea exactiones, tributa, grauamina populis imponebantur, ut publico omnium mœore Regia illa generatio inclita fieret, & felix. Vbiq; inter Sueones & Gothos querelæ, doloresq; ob inuictum tam tyrannicum principatum, at in curijs Regiorum consanguineorum, cantiones, tripudia, & omnia lætitiæ genera audiebantur, ut quiuis sapiens iuste dicere potuisset, tale regnum nihil aliud fuisse, quàm publicum latrocinium. Accidit interea Ostianum cum suis contribulibus à Suetia in Gothiam ob nonnulla regni negotia descendere: in quo quidem transitu, quædam nobilium generatio circa oppidum Nicopense Regis aduentum obsequiosius & studiosius, quoad fieri poterat, excepit, omniaq; humanitatis studia, quibus putabat rigorem animi eius emolliiri posse, adhibere curauit. Sed ingratum erat, quicquid ingrato præstatur. Quocirca nobiles illi uidētes se, & omnia obsequia sua in oculis tyranni sordere, simulq; aduertentes ipsum ob inciuiles mores, & crudelia facinora, in conspectu totius patriæ, omniumq; incolarum uilipendi, atq; in summo omnium odio uersari, obleruato idoneo tempore, ipsum unà cum eius intolerabili progenie, & nequissima familia, somno uinoq; sepultum, immisso igne (sicut pessimè meritis erat) combusserunt, plaudentibus cunctis bonis, illud horrendum monstrum de medio sublatum, quod potius super belluas & feras in desertis nemoribus, quàm super liberos homines imperium habuisset: eiusq; cineres ad perennem ignominiam in reterfluentem torrentem iniecti fuere. Deinde illis nobilibus, qui tam nobile tyrannicidium peregerant, decreta est publica laus, & honor sempiternus.

Ingemarum improbißimi patris Ostiani optimus filius, cognomento Canutus, quia sepe conabatur paternos mores suis consilijs immutare, palamq; ostendebat omnem patris tyrannidem sibi uehementer displicere, noluerunt illi generosi patriæ liberatores, eius innocentiam cum scelerato tyranno igne consumere, sed operam exhibere, ut procul à Rege atq; eius familia locatus saluaretur. Nec illud insigne beneficium in eum contulisse contenti, elefecerunt etiam in publicis regni comitijs, in quibus de restituenda regni libertate agebatur, ut communi procerum populorumq; consensu in Regem assumeretur. Factus igitur Rex, tantum se in omnium uirtutum officijs exercebat, quantum pater in omnium uitiorum sordibus inquinatus apparebat. Militaris disciplinæ negotia ita ad pristinum usum & gloriam reducebat, ut iuuentus, quæ sub corruptis Ostiani temporibus à strenuitate & fortitudine maiorum defecerat, nunc ad capellendam uirtutem prouocata, egregijs militiæ operibus præteriti temporis negligentiam aboleret. Pacatis enim domi & in patria omnibus Reipub. partibus, conscriptisq; fortissimorum militum copijs, traiecit in Russiam: quam commisso leui & incruento prælio, ad deditionem haud difficulter adegit. Russi enim non tantum ad eius potentem militiam, quantum ad eius famæ bonitatem respicientes, promisso tolerabili tributo, gaudebant se in eius societatem & confederationem deuenisse. Deinde se ad Liouones & Curetes conuertens, pari industria uictoriam assecutus est. His peractis, cogitabat domesticæ quieti ad aliquot annos indulgere. Quibus euolutis, militiam suam in Hyberniam, Scotiam, Britanniam eduxit, bellaq; & plures insultus in illas insulas fecit: uerum etiam an uictor, uel uictus euaserit, plene ex historijs, quas sequor, non inuenio. Postremo optimè paratam & armatā classem in Danos conuertens, eos post cōmissam acerrimam pugnam in deditionem suscepit. Quibus superatis, quib; sibi minus prouideret, atq; in insula Balthici maris (quam Longam uocant) quasi securus uersaretur, Danorum peridia & insidijs impetitus occubuit.

Tertium

*Tertium exemplum itidem ex lib. 8. hist. Ioan. Mag. in uita Gostagi uel
Ostani 90. Regis interni.*

Gostagus post fata Algothi in regnorum administratione successit, iusto iniustissimus, probusque reprobissimus, & agrestis tyrannus. Hic enim quamuis à principio Ostanus dictus esset, attamen ob tyrannidis magnitudinem Gostagi nomen obtinuit. Gostagus siquidem bonorum, siue prædiorum raptorem, lingua Gothica exprimere uidetur: quod utique nulli unquam tyranno iustius poterat adaptari, quam huic sceleratissimo homini: qui ut erat à sanguine Regio remotus, ita quoque ab omni uirtute & honore remotissimum sese omni tempore ostendebat. Filius hic erat cuiusdam nobilis uiri ignoti nominis, qui ab omnibus adeo ridiculus æstimatus erat, ut eo loquente, siue ignauiter balburiente, cuncti qui aderant, immodico ora risu laxarent. Mater quoque eius Thorilla uni marito nupta, omnibus exposita erat. Quocirca ex talibus parentibus, quid aliud quam tale omnium uitiorum portentum poterat generari? Duabus tamen potissimum causis, ad regnorum sceptrum conscendit. Prima, quod lux prauæ malignæque naturæ uitia, per summam astutiam occultare sciret: altera, quod regni proceribus in bello Rutenico, ut gentem illam post fata Algothi rebellantem subiugarent, occupatis, ipse plebeie multitudinis auxilio stipatus, tyrannidem nullo resistente arriperet: in qua adeo crudeliter, & auarè, atque impie præfuit, ut uix ullus ab origine rerum usque ad eius tempora, cum tanta feritate liberis hominibus dominaretur. Nullius res secuta: nulla legum obseruantia: nulla domus, siue possessio ab iniurijs libera: uita integritas, morum honestas, omnisque iusti & æqui ratio, euersa Repub. sublata est: homicidia, adulteria, rapinæ, furta, omniaque enormium scelerum genera, loco clarissimorum facinorum ducebantur. Quæ enim uirtus adesse, & quod flagitium deesse potest in illa Repub. cuius Rex publicus patriæ hostis efficitur, nihilque ab infami latrone differre uidetur: quemadmodum hic Gostagus, qui ita ciuium fortunas inuasit, ut nullus eorum sciret quid suum esset, aut quamdiu rerum suarum dominus existeret. Consiliarios, & ministros sibi similes habebat, per quos suæ iniustitiæ insaniam passim & ubique exercens, omnibus ciuibus, qui opulentiores putabantur, insidiosos delatores excitauit. Erantque omnibus cuiuscunque sortis hominibus liberum, quoscunque locupletes, etiam in Senatu regni constitutos, deferre. Nec facilis erat delatis uia euadendi, cum conficta crimina eosdem haberent iudices, & testes, quos tyrannus subornauerat delatores. Quo euenit, ut etiã domini à seruis coram eo delati, omnium fortunarum, & uitæ discrimen sustinerent. Eo namque ingenio omnium ciuium fortunas confiscauit: putabantque illi secum clementer agi, qui miseræ uitæ reliquias una cum opibus non amiserunt. Nec quicquam ex tot tantisque opibus in regni utilitatem impendit. Arces, castella, oppida, prædia, uillas, possessiones, quæ ad Regios prouentus spectabant, funditus desolari permisit: & dum uideret proceres, aut ciues domos, siue arces erigere, illibera li ioco ad suos consiliarios ait: Sinamus hos homines domos pro nobis parare, quas postea cum uoluerimus occupabimus.

Neque sibi in gerendis bellis dissimilis erat. Quippe ijs ingruentibus, nihil ex illo immenso thesauro suo, pro suorum subditorum salute deperire passus, adeo intolerabilia tributa eis imponebat, ut prius uitam e ciuibus, quam guttam sanguinis ex hostibus elicitorus uideretur: compertumque erat ipsum prius mille ciues perdidisse, quam unum hostem inuasisset. Enim uero ut erat contra fideles subditos inexorabilis tyrannus, & leonis fortitudinem præ se ferre uidebatur: ita in hostes bellum gesturus, omni lepore timidior apparebat. Solebant ante eius tempora Reges Gothorum primas in acie partes agere, & se uiros ostendere, at ipse deserto exercitu in propinquas arbores, uel montes ascendens, belli euentum speculabatur. Sepe etiam ad pueros & calones, qui ob imbelliam retrorsum ad monticulos missi fuerant, inuentus est, dum acerrimis animis bella cum hostibus ageretur. In expugnanda uero matronarum, uirginum, & illustrissimarum faminarum pudicitia, nulli secundus habebatur. Vix enim ulla nox intoto anno præterijt, in qua adulterijs, stupris, incestuosis nuptijs, & foedissimo concubitu abstinerit. Quo etiam tempore, operto uultu inter latrones incedens, obuios quosque occidere, uel uerberare, inter ioca ducebat: & ne quid eius enormi petulantia deesset, muliebri ueste indutus, effeminatum scurræ sese ubique, & totis noctibus ostentabat. Sed hæc & alia grauiora eius facinora, quæ sciens prudensque prætereo, dissimulanda uidentur, partim ob ueri Dei ignorantiam, partim ob summam illorum temporum infelicitatem. Ethnicus enim erat, & illi infelici temporis reseruatus, quo spurcissimus Mahumeres sue uesaniæ doctrinam seducendis hominibus obtrusit: quam nec Sabianus Papa ob suam ignauiam, nec Imperator Phocas ob suam stupidam impudentiam, auertere curauerunt.

Hactenus

Haftenus de Gostago: qui utinam nunquam fuisset ad tantū patriæ nostræ opprobrium natus, neq; ullos suorum scelerum imitatores habuisset. Tandem inuentus est aliquis optimæ spei uir, Arthus nomine, qui tantam patriæ calamitatem diutius non patiens, collecta populi multitudine, pessimè meritum Regem, & ab omnibus desertum comprehendit, ipsumq; confestim unā cum pessimis consiliarijs eius, perinde ac uilissimos latrones, laqueo contumpsit, atq; insepultos abiecit.

Vltimum exhibet Dignerus 66. Rex internus: ex Ioan. Mag. lib. 7. ubi lector egregiam comparationem habet boni Principis & Tyranni.

Dignerus deinde in Sueonum regno procerum populorumq; consensu, quamuis ætate prouectus sublimatur: quem quidam à Regio sanguine alienum, quidam uerò Osteni ex sobrore nepotem affirmant: omnes tamē ipsum optimis moribus nobilissimum, atq; in rebus bene gerendis expertissimum fuisse consentiunt. Totum siquidem studium suum eo conuertit, quò ostenderet se maiorem curam de augenda & conseruanda Republica, quam de sua propria assumpsisse: summèq; cauit, ne sui satellites quemcunq; contra iustitiam opprimerent, præfatus Regiam dignitatem, & Regios prouentus à subditis populis nulla alia ratione impendi, nisi ut eos in pace & tranquillitate defendat, atque conseruet: à quo officio quantum deficeret, tantum se à proprio honore separatim ostenderet, assequereturq; ex Regia sublimitate sempiternam infamiam, à qua immortalem gloriam consequi potuisset. Erāt huic Dignero contrarijssimi mores ad eos, quos eodem tempore habebat ille perditissimæ uitæ Visburus Gothorum Rex, cuius paulò antè meminimus. Erat ille sordidissimæ auaritiæ mancipium, plus perniciofa metalla, quam pretiosam uirtutem estimans: hic omnia ad liberalitatem, magnificentiamq; & ad uirtutem officia referebat. Ille subditos ciues iniustus atq; intolerabilibus tributis onerabat, & tamen de continua rerum inopia querulabatur: hic de Regijs prouentibus, quos ueterum leges præscriperant, optimè contentus, sese in omnibus diuitem, & bene fortunatum ostendit. Ille publico omnium suorum odio laborans, uitam in omni momento miseram, & formidine plenam deducebat: hic ab omnibus perinde ac communis parens dilectus, iucunda & continua tranquillitate gaudebat. Ille tandem per proprios filios cum tota ignaua familia sua immisso latenter igne combustus, perpetuum sui nominis dedecus ad futura tempora transmisit: hic ad senectutem bonam post felicitis beatæq; uitæ cursum perueniens, egregia & nunquam casura laude ab omnibus, & in omni æuo iustissime meretur extolli. Igitur quò magis felices tunc fuere Sueones, eo infelicius mei Gothi suam aduersam sortem deplorantes, doluerunt se à uetustissima Sueonum societate imprudenti consilio diuulsos. Sed non erat æquè facile Rempub. in præcipitem casum corruere, & ab eo in pristinum statum reuocari. Quippe illud est temerarium, quorum infinitus ubiq; est numerus: hoc autem est officium sapientum, qui nimis pauci in toto orbe terrarum reperiuntur.

De uiolatione cadaverum, & sepulchrorum.

C A P. XLV.

Quidam etiam mortuorum sepulchra, uel ob odium defunctorum, uel spem reperiendi thesauri, uel salnitri coquendi, truculenta sæuitia uiolantes, impium & infame nomen, etiam ad posteros propagandum hereditare solent. De primo, scilicet ob odium & inimicitiam, nimis recens, & abominabilis memoria est de Rege Christierno, eius nominis secundo, qui anno Domini M. D. XX. non contentus proditorum opera hostem suum illustrissimum Sueonum ac Gothorum Principem Stenonem iuniorem, uicisse in pralio, nisi etiam cadaver eius cum posthumo (ut superius libro 8. cap. 39. de crudelitate eiusdem Christierni dictum est) nimia insolentia exhumasset. Satis enim erat inimicum uincere: uicto autem insultare, aut illudere, ab omni humanitate alienum erat: imò adhuc omni barbarie indignius, excisa membra, crura uidelicet, & brachia ignibus semiusta. hincinde in terrorem prouincialium, ob talem poenam rebellantium, transmittere. Militari quidem laude, quia hostem uicisset, gloriari poterat: sed cum illius cadaver more lanionum ita demembratum circumferri permitteret,

teret, nimis insolenter, ac turpiter tuo sempiterno sauiſſe perhibetur. Ita & Sylla crudelitate ſua ſœdiſſima (cui nō ſatis fuit uiuis hoſtibus illudere, niſi mortuorum oſſa ē ſepulchris canino more eruta, in flumen mergi iuſſiſſet) de Marij cadauere effecit, teſtamento cauens, ut ipſe cremaretur, ne ab hoſtibus crudelius ludibrium pateretur. Ita Alexander Magnus non fecit: quia ſicuti bello fuit terribilis, ita parata uictoria clementiſſimus ſemper extitit. Nam cum uidiſſet Dariū a proprijs ſamilis interemptum, grauiter ingemuit, & Beſſum illius percuſſorem crudeli ſupplicio affecit. Darij uerō corpus dempta ſibiſſi Regia chlamyde, qua tūc indutus erat, ornauit, & ad illius matrem perferri iuſſit. Hannibal quoq; Marcelli fortiſſimi hoſtis, cadauer ſplendidē ornatū cremari iuſſit, & reliquijs in argentea urna poſitis, auream coronam impoſuit, curauitq; ut ad filium mitteretur. Antonius cadauer Bruti, quem uicerat, purpureo paludamēto ſuo inuolui iuſſit, & illius cineres ad Seruiliam eius matrem, & ad uxorem Portiam perferri curauit. Ita & Agesilaus Rex: qui ſicut in bello fuit pugnator acerrimus, ſic poſt mortem mitiſſimus eſt reſpertus: quod utiq; huic, & omnibus ſimilibus, laudem fortitudinis, & clementiæ gloriā peperit, & perpetuam famam longē amplius accumulauit.

De eodem, quod propter theſaurum aperiuntur ſepulchra.

C A P. XLVI.

Refert Franciſcus Patricius Senenſis, Solonem inter præclaras leges ſuas ſtauiſſe, ne quis in defunctos maledicere auderet. Pium namq; eſſe dicebat, ſanctos eos putare, qui e uita diſceſſerūt: & eorum urnas uiolare, inexprabiſ religionis arbitratus eſt. Vnde Alexander Magnus Darij uictoria potitus, cum in Perſas ueniſſet, Polymachum uirum nobilem, quod Cyri ſepulchrū demolitus eſſet, necari iuſſit, motus præſertim Epigrammate Græcis literis ſic inſcripto: Quiſq; mortaliū, & unde ueneris, te enim a dempturū, ſcio hac lege. Cyrus ſum, qui Perſis imperium armis quaſiui: hoc quodcunq; eſt, humi eſt, in quo corpus meum tegitur: noli me irridere. Hæc uerba Alexandri mentem commouerunt, ut inſtabilitatem fortunæ cognosceret, & manibus defuncti Regis ultione uiolati ſepulchri impio ſanguine parentaret. Quanti etiam faciunda ſunt monumenta ſepulchrorum, placido Epigrammate Semiramis Regina animi excellentiſſimi docuit: quæ cum ſibi ſepulchrum non admirandi ſumptus conſtituiſſet, inſcribi iuſſit hæc uerba: Qui- cunq; Rex pecunijs indiget, aperto monumento, quod uoluerit, accipiat. Has literas cum legiſſet Darius, opinatus theſaurum abſcōditum eſſe, ſepulchri lapidem deleri iuſſit: quo reuoluto, literas alias uidit, ad hanc ſententiam ſcriptas: Niſi Rex auarus eſſes, & pecuniæ inſatiabilis, mortuorū monumenta nō uiolaſſes. Urbana quidem irriſione auaritiæ crimen carpiſit ſœmina excellentiſſima, & Epigramma tum ſepulchrorumq; nimiam diligentiam contempſit. Quid nunc dicerent patres, & aui in Septentrionalibus Eccleſijs ante ſecula ſepulti: quorum cineres effoſſa humo, ſimili auaritiæ titulo ſub ſpecie ſalnitri coquendi, a nepotibus, & filijs commixti ſtercore pecorino, uel ſœtida urina rapiuntur ad ollas: quibus cineribus ethnica barbaries, ut in terra permaneant, ignoſcere ſolet. O caninam crudelitatem, o rabidam amentiam & temeritatem, o rem non uiſu modò, ſed dictu quoq; abhorrendam, ē ſacris locis ſacros eruere cineres, ut icribus, & globis adaptentur bombardarum. Merito ſtatueretur hîc, qui Pompeiopolis Syriæ eſt, tumulus Strati poëtæ: in cuius monumentum ſacti lapides, eueſtigio in iacientem reſiliunt, diuino potius miraculo, quàm naturali aliqua ratione. Anthei etiam 70. cubitorum longitudine ſepulchrum, Plutarcho referente, ſacrum reputatur: cuius aliqua pars læſa niſi illico reparetur, continua pluuiā durat.

Demodo Illustrum, ac Nobilium uirorum sepultura tradendorum.

CAP. XLVII.



VT cunque autem erga Deum, & sanctam religionem se habeat hæc præsumptuosa impietas, & erga defunctos, imò super uiuentes uiolata crudelitas: cum tamen id facientes, grande obsequium autumant se præstare Deo, quando talem conscientiam sibi met (sacra lege contempta) assumunt, ut nullum se opinentur sacrilegium committere, dum omnia suis ad inuentionibus instituunt, & armata manu defendunt. Pro more tamen antiquo (hoc præsertim in elici tempore simulate magis, quàm sincera religione & cærimonijs Ecclesiasticis) hæredes, & agnati, uolentes funera illustrium, & nobilium uirorum tradere sepultura, uirum totaliter armatum equo cataphracto impositum, longoq; Ecclesiasticarum personarum præmissio ordine, funus honestissima lectica collocatum, præcedere iubent: cui & nudum ensen capulo uersus coelum leuato, in dextera manu, & clypeum, quo in prælijs cum insignijs usus est, dorso tenus ferendum assignant. Hæc q; omnia sacro loco, quo tumultatur, libera donatione cum aliquot prædijs permittunt hæredes: licet equus, ensis, & arma, iusto interueniente pretio, illicò redimantur ab eisdem, solo remanente clypeo in ornatori loco Ecclesiarum: ut ostendatur talem, tamq; insignem uirum clarissima stirpe fuisse productum, & pro honore Dei, ac iustitia fideliter pugnausse, ac bona Ecclesiae contributa, sua propria sponte, & liberalitate, diuinis seruijs perpetuo iure possidenda fuisse, & esse oblata: ea etiam conditione, & causa, ut stirps inde nascitura clarum testimonium sortiatur à diuino loco, quàm illustris, & nobilis hæc familia fuerit, quæ post clarissimæ gesta sua funus, & insignia, ac memoriam commiserit Ecclesiasticæ custodiæ, & eius suffragijs sempiterno tempore duraturis.

De qualitate sepulchrorum, & testimonio transactæ uitæ.

CAP. XLVIII.

Prouidendum tamen erit Principibus, ac nobilibus funebri pompa ad tumultum efferendis, ut potius pro iustitia, clementia, & liberalitate uersali planctu, & assiduis precibus perpetuè uicturi commendentur Deo: quàm pro seuitia, rapina, & crudelitate, æternis supplicijs corripiendi, omnium execratione offerantur diuinæ ultioni. Nec uana ostentatione glorientur in excellentibus præparatis aut præparandis sepulchris: quia uitæ præcedentis acta, spoliatorum & tyrannidis testimonia sunt, non autem uirtutis, aut probitatis in quo libet heroico uiro requisite. Dicent quidem prætereuntes, qui dolosis artibus sepulchrorum lucrati sunt opulentias pretiosas, quod magnifica, sumptuosaq; sit hæc structura: sed rursus alios attestari audient, hanc cum iniuria pauperum, & mille innocentium oppressione fuisse, & esse elaboratam: ac non multo inde tempore uel hostili furore, uel temporum edacitate uidebitur defectura: ubi euidenter doctorum hominum scripturis, quàm commoda, uel perniciofa uita ibi dem sepulchrorum fuerat, perpetuo exemplo ostenderetur. Frustra quidem putat se quisquam sui nominis memoriam beneficio pretiosi lapidis, aut structurae maiorem

more propagaturum, si nihil in uita, gloria, honore, & memoratu dignum gessit aut scripsit. Sunt etiam plerique non improvidi iudicii Reges & Principes: qui cum gloriose regnauerint, solent posteris suis hanc curam relinquere sepulchrorum condendorum, qui iure naturæ eiusmodi pietatis officia præstare teneantur. Satis enim eis, dum uixerint, suffecisse uidetur ea egisse, quæ secundum uirtutem sunt, & perpetuam posteritatis laudem meruerunt. Nec incongruè huic loco annexi possit, quomodo anno Domini M.C.XCIII. referente Vincentio in spe. hist. lib. 29. cap. 54. Salahadinus moriturus, uocato uexillifero dixit: Tu, qui soles ferre uexilla mea per bella, fer uexillum mortis meæ, scilicet panniculum uilem per totam Damasum super lancea, clamitando: Ecce Rex Orientis moriens non fert secum nisi hoc pallium uile. Et sic mortuus est.

De quibusdam optimis Principibus, subditorum humeris ad sepulchra Regum deportatis.

C A P. XLIX.

Accidit præterea nonnunquam, ut Principes non culpa sua, sed populorum (quorum magis, ut diutius uiuerent, intererat) ab æterno iudice immatura morte rapiantur. Illoque casu eo luctuosior eorum æstimatur interitus, quo floridiori ætate, et acriori imminente prælio corripui uideantur. Taliq; modo, ut uita eorum uisa est benignior, ac æquior: ita & maioribus obsequiis, & longioribus terrarum spatiis eorum funera ad Regias sepulturas, seu monumenta, in humeris clarorum hominum, certatim ex diuersis prouincijs confluentium, deportantur: prout in historia sua meminit charissimus frater meus Io. Archiepiscopus Vpsalensis lib. 10. cap. 9. de Rege Magno cognomēto Ladalaas, quia omnia horrea sine clauisura, sua iustitia, & pace tutatus est: quem subditi ab insula Visingiana itinere 12. dierum ad Stocholmiam ciuitatem Regiam publico patriæ luctu, præsertim eorum, qui innocenter uiuere uolebant, quorum ipse inexpugnabile scutum erat, portabant. Nec deerant magno numero procēres: qui tam memorabile funus processuri fatebantur, se patrem, non Regem sepulturæ commendare. Eadem etiam si delitas cuidam strenuo nobili, Bryntoni Bertelson dicto, M.D.X. ab animosa uxore exhibita fuit: quæ eum a prælio Schoningiano itinere 7. dierum in terram Vestrogothorum mortuum ab hostibus impetratum, tam opera filiorum, quam subditorum reportari curauit. Ab hac quoque pietate, non discrepat insignis historicus Laurentius Valla: qui in fine historiarum optimi Regis Aragoniæ Ferdinandi refert, (de cuius indicibili bonitate lib. 8. cap. 4. plurā bona narrata sunt) quod 30. millibus passuum & amplius, ad locum sepulturæ portatus sit, atq; in templo sanctæ Mariæ, quam intime dilexit, sepultus: & hoc, quia catholicus, & religionis, ac omnium bonorum amator in uita fuit: alioquin procēres forsā minus pro eius funere solliciti fuissent tam insigniter honorando. Nouerunt enim Paulum Diaconum lib. 6. cap. 34. audacter, & rectè asserere, statuto Romanorum semper obseruatum fuisse, quod nec funus, nec arma, nec effigies, nec memoria alicuius hæretici in Ecclesia Dei haberi, aut tolerari debeat, ut superius eodem lib. cap. 38. reperitur inductum. Et esto quod inuidia malignorum, statue, arma, & clypei bonorum Principum, non permitrantur in Ecclesiis, uel publicis locis honorari, parum referre uidetur: quia eorum uirtutes, & præclara gesta, in historias forsā redacta, nunquam aboleri poterunt, aut coram Deo amittere retributionem. Nihil tamen turpius est, quā insolentia uictoriæ, euertere statuas heroum clarissimorum: quorum etiam subditi propter constantiam nequaquā arguendi sunt, sed commendandi. Sic & ego assidua meditatione animo repeto gloriosam memoriam reuerendissimi ac Illustrissimi D. Antonij Fabiani de Monte, S. R. E. Episcopi Card. Portuensis: qui ultimo ætatis suæ anno, mira benignitate fratrem

meum Io. Magnum Gothum Archiepiscopum Vpsalensem, & me, pro fide Catholica ab hæreticis e patria expulsos, Romam uenientes collegit, fouit, iuuuit, atq; omni humanitatis officio consolatus est: unde et intellecta causa nostri ad Urbem accessus, nempe pro sola Orthodoxa fide, & unitate S. Se. Ap. in partibus Aquilonis restauranda, dixit nobis: Vos estis boni uiri, sed pauperes exules: ideo uos iuuabo in omni consolatione assequenda, ut nunquam poeniteat hanc almam Urbem in tam pia causa accessisse. Verum dum hæc, & similia, nedum in nos, sed & in omnes afflictos misericordem gerens animum, meditaretur afferre: ecce cœlestis magister adest, & uocat eum de terrena legatione Vmbrie, ad lucem claritatis æternæ: quam meruit splendore transactæ ætatis sue: in qua multos erudiuit in uerbo sicut & præfuit in exemplo. Nec mirum: quia Romanarum rerum fuit gnarus, & miris uirtutum meritis insignitus, uir certè clarissimus genere, pijsissimus fide, tenacissimus iustitiæ, & largissimus pauperum alumnus, imò prudentia, sagacitate, & clementia nulli secundus: munificus in benemeritos, grauis in bilingues, seuerus in lasciuos, patiens aduersus inimicos, nō sua, sed aliena suspicione excitatos: ideo nunquam præceps in uindictam, sed ad iniurias generoso animo facillimè obliuioni tradendas affectus. Deniq; omnia opera sua in charitate inchoabat, & in summa mansuetudine consummabat. In eleemosynis (ut Paulus Diaco. Longob. histo. de Constantino Magno asserit) promptus, in iudicijs iustus, & in iudicando cautissimus: nullum despiciens, sed omnes diligens, ipse quoq; dilectus à cunctis. Ideoq; cum ab Vrbe in Montem aureum tumulandus efferretur, ab infinita turba (planctu, gemituq; plena) auditum est: Hic est uir misericordiæ, cuius iustitia obliuionem non accipiet. Hic fuit oculus cæco, & pes claudò, pater pauperum, & omnium mœrentium infatigabilis consolator: quia ab infantia miseria creuit cum illo: cuius etiam ostium uiatori patuit, & peregrino, prout & ego in ueritate comperi. Quotiescunq; enim in causis pijs (præter quas nil unquam petere habui) domum eius accessi, toties mirifica consolatione repletus abscepsi multiplices gratias Domino referēs, quod adiutorem bonæ mentis & operum, eius instinctu obtinere meruerim, præcipuè tantum uirum, & magnū amicum Dei: in quo felicissimo auctore, & gloria sempiterna posteritas lateat. De Magno Ladalo supra lib. 15. cap. 19.

De Medicis, & Medicinis.

CAP. L.



L Audantur fideles causidici, & aduocati periti, cum magna atq; ardua negotia defenderint singulorum: sed multo gloriosiores habentur, qui artis excellentia nouerunt expellere, quod mortem uidebatur inferre, & salutem reddere sub morbo periclitanti, de qua coactus fuerat uehemēti cruciatu desperare. Ars hæc celebris est, quæ in homine plus inuenit, quàm in seipso cognoscit: periclitantia confirmat, quasiata corroborat, & futurorum præscia dolorem extinguit, uel mitigat, ne causa succrescens incurabilius inueniat nutrimentum. Propterea inter utilissimas artes, quas ad sustentandū humanæ fragilitatis domiciliū, & indigentia diuina tribuerūt, nulla præstare uidetur aliquid simile, quàm quod potest auxiliaris medicina conferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper asistit, ipsa cōtra dolores pro humana imbecillitate configit, et ibi eā subleuare nititur, ubi nullæ diuitiæ, nulla dignitas poterit subuenire.

Obscura

Obscura nimis est hominum salus, temperies ex contrarijs humoribus constans: ubi quicquid horum excreuerit, ad infirmitatem celeri mutatione corpus adducit. Hinc est, quod sicut aptis cibis ualeudo fessa reficitur, sic uenenum est, quod incompetenter accipitur. Non enim casu, uel uaga hominum uoluptate ægris succurritur, sed certissimis regulis prudenti ueterum examine approbatis: & his securius se credunt, qui cunctas ægritudinum rationes agnoscunt: quibus potius, certiusque cura salutis, etiam suspectis credenda est, quam trepidare in accessu præsentissimæ mortis. Imò medendi peritus inuitum frequenter sanat ægrotum: dum uoluntas recta in grauib. passionibus non est, sed potius illud appetitur, quod salutis iudice grauare posse sentitur. Vnum tamen sine exceptione formidare uidetur infelix æger, ut cum semel à malo, & in experto medico, uel potius circulatori deceptus sit, omnes putat etiam prudentissimos fore fallaces. Quo euenit, ut in Septentrionalibus regnis rarissimi medici, qui fidelem curam languidis adhibeant, reperiantur: non quod de arte, uel experientia bene curandi addubitent, sed indisciplinato regimine curandorum: nec quod herbarum Aquilonares (teste Plinio lib. 27. in fine) cæteris omnibus efficaciores ibi non crescant, sed si plures adhiberentur medici uarietate consiliorum, ac contrarietate medicinarum, periclitaretur infirmus. Etiam alia causa cæteris ualidior est, quod aromata, seu medicæ res longo terrarum, mariumque circuitu, antequam in remotas illas regiones perferantur, naturalem efficaciam, & uigorem, uel perdunt, uel lucris causa à portitoribus falsificata corrumpuntur.

De uarietate ægrotantium, morborum,
& medicinarum.

C A P. L I.

Cum in illis regionibus duræ sint qualitates elementorum, duræque complexionibus hominum, maxime nobilium & magnatum, qui facili offensa uiolant naturam, ut medici diligentia frustretur laude, & languidus ipsa sanitate: propterea rarissimi applicant se huic arti periculosa: ne forte ob prædictos defectus & dissolutum regimen, dum cupiant in alieno corpore curare languorem, in propria uita periclitari contingat. Et hæc phreneticorum gratitudo est, ut proprium curatorem interimant, sicuti uiperini partus in dissolutione materni uentris. Morbi autem Aquilonarij peculiare hi sunt: Tussis, calculus, dentium oculorumque dolor, tormina intestinorum, febris, pituita, scabies, & Gallicus morbus, ac puerorum morbilli: pestis etiam quo rarius uenit, eo seuerius interficit homines, in crapula præsertim infatuatos. Est & alius morbus castrensis, qui uexat obfessos, & inclusos: talis scilicet, ut membra carnosæ stupiditate quadam densata, & subcutaneo tabo, quasi cera liquefscens digitorum impressioni cedant: dentesque ueluti casuros obstupescit: colores cutium candidos, ac cæruleos reddit: torporemque inducit cum nausea capiendarum medicinarum: uocaturque uulgaris lingua gentis Schoerbuch. Græcè Cachexia, forsitan à subcutanea mollitie putrescente: quæ uidetur esu salforum ciborum, nec digestorum nasci, & frigida murorum exhalatione foueri. Sed uim tantam non habebit, ubi muri interius tabulis quorum cunque lignorum sunt cooperti. Insuper si diutius grassatur iste morbus, absinthiaci potu continuato illum arcere, sicuti & calculi radices, per decoctionem ueteris ceruissæ cum butyro epotæ, tollere solent: quæ passionibus huiusmodi calculi & renum, totaliter auferre, uel in magna parte alleuiare solent. Illi autem medici laudem maiorem assequuntur, qui simplicioribus medicinis utentes, frequentius languores curant. Nec ingrati sunt genti, quando physicis adductis rationibus persuadere norunt, ex coniugio senum uirorum & puellarum, gigni masculos potius, quam foemellas. Item qui inducunt egrotos uerbis solatiolis, ut amœnitatem

li 3 locorum

locorum uirentium, & garrum auum, imò & ranarum eligant, pro restauratio-
ne sanitatis. Sunt præterea frequentissimi chirurgici in terris illis, eò quòd gens
illa uix diem, uel horam sine conflictu præterire finit,

De podagræ incommodis.

CAP. LII.

Quia hoc quoque malum solos magnates in Aquilone cruciandos detinet,
nec ante subeundum sepulchrum fatigatos relinquit, uolui testimonium
Cassiodori lib. 10. Epistolarum ex uerbis Theodahadi Gothorum Regis, adducere
in hac forma: Hæc passio insanabilis, & sanitas passibilis, ligat solutos, contrahit
neruos, & decrescere facit corpora, quæ nulla sunt mutilatione truncata. Constan-
tibus membris proceritatis mensura perit, & minor cernitur, cui nihil subductum
esse sentitur. Subtrahuntur superstiti ministeria membrorum: corpus uiuum est,
nec mouetur. & inter insensibilia redactum, iam non proprio uoto, sed motu fer-
tur alieno. Hæc uiua mors supra omnia tormenta sana dicitur: & melius habere
fertur, qui euasisse causas tanti periculi non probatur. Deserit quidem dolor, sed
dimittit reliquias fortiores, & nouo infelicitatis exemplo, passio uidetur abscede-
re, & æger non desinit ægrotare. Appendia ipsa cruciatis debitoribus aliquando
soluuntur. Ista autem uincula sunt, quæ cum semel potuerint illigare captum, ne-
sciunt in tota uita dissoluere. Infelicia signa relinquit abscedens, & more gentium
barbararum hospitium corporis occupatum, suis iudicijs uiolenta defendit: ne
ubi ferox ista cœpit succedere, aduersa illuc sanitas audeat fortassis intrare. Hoc li-
cet omnibus uideatur esse contrarium, illis maximè, qui armorum exercitatione
floruerunt: ne membra illa durissima languoris decoctione mollescant: & qui ab
hoste foris superari minimè potuerunt, ab interna potius contrarietate uincan-
tur. Graue est ergo uiro fortis sic uiuere, ut nec mortem possit implere. Vtantur er-
go aquis primum potu delinitorijs, deinde thermarum exhibitionibus siccatiuis:
ubi meritò indomabilis ceruix illa passionis flectitur, quando interna plurima ef-
fusionemundantur, exteriora attractiua uirtute libera fuerint, & uelut duobus au-
xilij congregatis in medium missa superantur. Amentur aquæ munera concessa
diuinitus. Contra illam humani generis debellatricem, data sunt opportuna mu-
nimenta lauacrorum: & quam non edomat iuge decennium, non mille potionum
molliter introitus, uoluptuosis aquarum remedijs effugatur. Aquas uerò Bor-
mias siccatiuas appellat hic autor, circa urbem Ticinum scaturientes.

De singulari remedio podagræ mitigandæ.

CAP. LIII.

Neque omittendum est hîc inferere, quomodo potentissimûs Princeps Sue-
tiæ & Gothiæ, Suanto nomine, nimio cruciatu podagræ laborans, unde-
quaque remedia quæsit adhibuit. Sed nullum inter alia simplicia salubrius inuen-
tum est, quàm quòd à solatio colloquio optimorum hominum accepit: qui eò
fidelius, sinceriusq; ei adhærebant, atq; omnia humanitatis officia exhibebant,
quòd & ipse Princeps erat magnanimus, & liberalis, placidum uultum omnibus
uocatis, uel casu occurrentibus ostendens. Is ad præliandum profecturus, ubi equo
uectus, licet podagra pressus, procederet, signa alacritatis ore, & manu cunctis
exercitibus præbuit: tantumq; eis impressit animum, ut ne unus quidem repertus
esset, qui non illius heroicæ, & Regiæ uirtutes admiraretur, faciliè mortem, uel
quodcunq; grauissimum discrimen morte amariùs, subire paratas. Erat enim de
tota patria optimè meritis, natusq; ad res præclaras, ac magnificas, utpote qui ani-
mum excelsum, & Regium semper, & ubiq; præ se ferebat. Tota quoq; eius fami-
lia splen-

Ita splendida, & bonis moribus ornata: quippe quemadmodum ipse morum grauitate pollebat, ita nullos effœminatæ leuitatis homines in suam familiaritatem admittebat: sed audaces, fortes, ualidos, & ex aliorum procerum curijs electos. Erat enim publico prouerbio receptum, quod nullus in familiam Suantonis ascriberetur, qui securi in faciem cæsus conuieret. Erat præterea in suos familiares adeo liberalis, ut saepe uestes sibi ipsi detraheret, & illis donaret. Plus enim in homines militares indulgens erat, quam in seipsum: saepeq; in largiendis stipendijs fiscum exinanīuit. Neq; enim ullam diuitiarum curam habebat, sed uirtutē, & gloriam sordidis diuitijs longè præferendo, potius fame perijisset, quam ex incolarum iniurijs, aut Ecclesiarum, siue clericorum spolijs uictitasset: rectè existimans, Suetiam adeo opulentum regnum esse, ut eius Princeps satis magnificè uiuere possit, absq; eo quod cogatur rapinis, & sacrilegijs uitam infelicem, atq; infamem sustentare. Acerrimo etiam odio infectatus est detractores, & mendaces: quos ne quidem è loco abscedere permisit, donec altera pars uocata se defenderet, & causa subornata puniretur. Præterea rigidissimus in uerbis fuit, sed clementissimus in actione. Cultor diuini honoris maximus inter

Principes sui æui semper est inuentus. Plura

de hoc Suantone suprà lib. 9.

cap. 21. pag. 363.

LIBRI XVI FINIS.

OLAI MAGNI GO-

THI ARCHIEPISCOPI VPSA-

LENSIS DE ANIMALIBVS,

domesticis

LIBER XVII.

PRAEFATIO.



ANIMALIUM genera uti multa, uariaq; sunt in toto terrarum orbe, suis prouincijs, & naturis appropriata, ac distributa, ut elephantes, cameli, leopardi, leones, struthiones, tigrides, simeæ, & id genus reliqua, sine pilorum densitate in calidis terris numero incomparabili multiplicata: Ita & in frigidis regionibus complures reperiuntur bestiae, sed ualde pilosae, propter asperrimas hyemes exuperandas: ut sunt ursi albi, uri nigri, alces alti, rangiferi proceri, lupi feroces, gulones uoraces, lynces perspicaces, lutra fallaces, castores medicinales, damulae pauidae, uulpeculae astutae, nigrae, & albae, atque aliae alibi inusitatae naturae, & nominis bestiae, successiuis capitibus inferius per ordinem diligentius insinuandae: ea potissimum causa, ut pius inspector agnoscat, quam admirabilis excelsi creatoris affectus, & amor est in omnibus creaturis suis, ubique terrarum suae dispositioni subiectis, maxime in frigidissimo climate Septentrionalis plagae (concessa naturali sagacitate) conseruandis: scilicet ut undique conclusa niuibus, & gelu tellure, pastum prohibente, nedum uiuere, sed & genus producere, atque alere possint, & inter asperrima elementa illaesa manere. Sobrie tamen de uniuscuiusque